F. JOSEPHI-ARCHANGELI
A FRACTA MAJORI
ORDINIS MINORUM OBSERVANTIUM

SACRÆ THEOLOGIÆ

SYNOPSIS

AD USUM

CLERICORUM ORDINANDORUM

IN HAC SECUNDA EDITIONE

Diligentius recognita, multisque additionibus aucta, atque illustrata, ita ut non amplius SYNOPSIS dici debeat, sed

SACRAE THEOLOGIAE
DOGMATICO=SCHOLASTICÆ
CURSUS

Plana facilique Methodo concinnatus, ad usum Scholarum, omniumque Studentium commodum

TOMUS VI.

CONTINENS TRACTATUS

I. De Sacram: in genere
II. De Sacr: Bapt: Conf.; et Euch:
III. De Sac: Poenit., et Extr: Unct:
IV. De Sac: Ordinis et Matrim.

NEAPOLI MDCCCXXXI.
Ex Typographia Jo: Rusconi
Via S. *Annae Lombardorum N.° 37.*

Superiorum facultate.

[illegible]

TRACTATUS I.

De Sacramentis in Genere:

Cum jam impletum sit, quod olim Isaias prophetans promiserat, dicens (Cap. XII. v. 3.): *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris;* quippe gratiam sanctificantem per aquas figuratam, cum gaudio haurimus ex Sacramentis a Christo Domino institutis, tamquam ex uberrimis, limpidissimis, atque indeficientibus fontibus a Salvatore profluentibus; De Sacrametis opere pretium est Tractatum tandem instituamus, ut et tanti beneficii memoria numquam abscedat, et Haeretici adversus Sacramenta loquentes iniqua, manus ori impio imponant, et nisi ab errore resilire voluerint, et nobiscum recta sapere; saltem tacere condiscant.

CAPUT I.

De Nomine, atque Definitione Sacramenti.

§. 1. Sacramenti nomen varie tum a Prophanis, cum a Sacris Scriptoribus usurpari solet. Et quidem a Prophanis aliquando usurpatur pro pignore, quod penes Pontificem in loco sacro a litigantibus deponebatur, durante aliqua lite, qua finita, qui victor existebat, pignus accipiebat; qui vero causa cadebat, in poenam injustae litigationis, pecuniae suæ jactura mulctabatur, ærario publico addicendae. Ita Varro Lib: IV. de lingua latina. Aliquando usurpatur pro juramento, quo, invocato aliquo Numine, homines militiae adscribebantur. Hoc sensu ajebat Tertullianus (Lib: de Idololatria Cap: 19.): « Non convenit Sacramento divino, et humano, signo Christi, et signo diaboli, castris lucis, et castris tenebrarum; non potest una anima duobus deberi,

» Deo et Cæsari. Apud Sacros vero Divinosque Scriptores aliquando usurpatur pro re secreta arcana, et occulta. Ita Angelus Raphael (Tob: Cap. XII. v. 7.) *Sacramentum Regis abscondere bonum est*: Et Auctor libri Sapientiae (Cap: II. v. 22.): *Nescierunt Sacramenta Dei;* Necnon (Cap: VI. v. 24.): *Non abscondam a vobis Sacramenta Dei.* Aliquando usurpatur pro aliquo dogmate, seu Mysterio humanae rationi impervio, et quod absque revelatione penitus latet; veluti illud Trinitatis, aut Verbi Divini Incarnationis; Ita Apostolus (5. ad Tim: Cap: III. v. 16.): Incarnationem *Magnum pietatis Sacramementum* dicit: Tandem, ut alia taceamus, usurpatur ad significandam cæremoniam, qua homines sacris initiantur; seu signum rei sacrae, quod sacrat, et sanctificat. Atque hoc in sensu in praesenti Tractatu Sacramenti nomen semper a nobis usurpabitur. Verum quidnam est Sacramentum proprie dictum, juxta datam usurpationem?

Dissidium est Hæreticos inter, atque Catholicos.

§. 2. Ac primo Sociniani Sacramentum definiunt per *Nudum et simplex signum, quo Christianus a Judæo, vel Gentili distinguitur.* Ita Socinus Disp: de Baptismo. Lutherani et Calvinistæ, Sacramenta ita definiunt: *Sacramenta sunt signa seu sigilla divinitus instituta ad obsignandas in nobis, et confirmandas divinas gratiae promissiones, ad sustinendam fidei nostrae imbecillitatem, et excitandam nostram in Deum pietatem.* Ita ex Calvino (Lib: IV. ant: Cap: 14.). Anabaptistae, dicunt, *Sacramenta esse allegorias, seu signa quædam vitæ Spiritualis, morum, atque bonorum operum, quibus scilicet signis admonemur bonis operibus nos exercere.* Zuinglius tandem, ut alios praeteream, Sacramentum definit, *initationem quamdam, et oppignorationem,*

qua Christo se homines obligant, atque ejus militiae nomen dant. Catholici etiam varias tradunt Sacramenti definitiones, quae quoniam neque adcuratae sunt, neque omnes ad Sacramenti naturam in quolibet statu explicandam applicari possunt, ab illis recensendis consulto abstinemus. Duas nihilominus trademus; alteram nempe Concilii Tridentini (Sess: XIII. Cap: 3.); scilicet: *Sacramentum est symbolum rei sacræ, et invisibilis gratiæ forma visibilis, sanctificandi vim habens;* Alteram vero ex Catechismo Romanio (P. II. de Sac: in Gen: §. 11.) jussu ejusdem Concilii edito; nempe: *Sacramentum est res sensibus subjecta, quae ex Dei institutione, sanctitatis, et justitiæ tum significandæ, tum efficiendæ vim habet.* Sed quænam erit Sacramenti definitio nostra, post aliqua notatu necessaria, mox dicemus.

§. 3. *Def*: 1. *Signum*, ex D. Augustino (Lib: II. de Doct: Chr: Cap: 1.) *est res, quae præter speciem, quam ingerit sensibus, aliquid aliud facit in cognitionem venire* (1).

§. 4. *Schol*: Signum, hic, multiplex est, *formale* nempe, atque *instrumentale*.

§. 5. *Def*: 2. *Signum* formale *est illud, quod licet sit incognitum, alterius tamen cognitionem parit.* Hoc pacto species simplices, et intelligibiles, signa formalia dicuntur, quia licet ignotæ, ducunt tamen in cognitionem objectorum, quae sentiuntur, aut intelliguntur.

§. 6. *Def*. 3. *Signum* instrumentale *dicitur illud, quod prius cognitum, in alterius cognitionem ducit*. Ita loquela est signum instrumentale conceptus mentis ab ipsa expressus. Unde Apostolus (I. Cor: Cap: XIV. v. 11.): *Si nescicrō virtutem vo-*

(1) Confer: hic, quae nostra in Logica P. I. Cap: IV. exposita sunt.

cis ero qui loquor barbarus. Signum hoc aliud est *naturale*, et aliud *arbitrarium*, sive *ad placitum.*

§. 7. *Def*: 4. *Signum naturale est illud, quod natura sua, id habet, ut rem a seipso diversam significet;* Ita ploratus in homine, signum naturale tristitiae est; apud omnes enim Nationes, statim ac videtur quod aliquis ploret, illum dolore affectum esse cogitatur.

§. 8. *Def*. 5. *Signum* arbitrarium *est illud*, quod *ex solo hominum arbitrio, vim habet aliquid significandi.* Ita sonus Campanae signum est vel conveniendi ad Ecclesiam ad audiendam Missam, vel exequiarum, vel horae prandii.

§. 9. *Schol*: Signum rursus dividitur in *speculativum*, et *practicum*; utrumque autem rursus dividitur in *demonstrativum*, *Prognosticum*, et *Rememorativum.*

§. 10. *Def*: 6. *Signum speculativum est illud, quod significat tantum rem, illam vero non efficit.* Ita lumen significat quidem Solem esse praesentem; cum tamen praesentem non facit.

§. 11. *Def*: 7. *Signum* practicum *est illud, quod non solum rem significat, sed etiam vim habet illam efficiendi.* Ita nubes nigra, et gravida, non solum signum est pluviae, sed pluviam quoque efficit.

§. 12. *Def*: 8. *Signum* Demonstrativum tandem *est illud quod rem præsentem donotat*, Rememorativum, *quod rem præteritam; Prognosticum, quod rem futuram.* **Quorum exempla satis obvia sunt. His explicatis sit.**

PROPOSITIO

Sacramentum est signum sensibile gratiam Dei, vel effectum ejus gratuitum, ex institutione divina, efficaciter significans, ordinatum ad salutem hominis viatoris (1).

§. 13. Exponitur, et simul probatur propositio. Ac 1° Sacramentum dicitur *signum*, quia ducit nos in cognitionem rei alterius, scilicet gratiae, quæ intus latet. *Sacramentum* enim, inquit Chrysostomus (Hom: VII. in 1. ad Cor:) *aliud oculis, aliud menti exhibet. Sensibile*, hoc est quod sensibus percipi potest; externum proinde et in materia sensibili constitutum. Sumus enim in corpore; ergo, *et sensibilibus signis opus habemus, ad diviniorem nostri ex illis ad intelligibilia sublimationem*, ait S. Dionisius (Lib. de Eccles. Hierarchia Cap. I.): *Si enim incorporeus esses, nuda et incorporea tibi dedisset ipse dona*, subdit supradictus Chrysostomus (2): *sed quoniam anima corpori conserta est, in sensibilibus intelligibilia tibi præbet.* Dicitur 2. *gratiam Dei*, gratiam nempe habitualem sanctificantem; vel gratias quoque peculiares ad finem, ad quem obtinendum singula Sacramenta conferuntur. Dicitur *effectum ejus gratuitum*, quod a Scoto additur, ut in numero Sacramentorum comprehendatur Eucharistia; nam hæc a reliquis Sacramentis differt 1. quia reliqua Sacramento gratiam accidentalem animae inhærentem significant; hæc vero

---

(1) Allata definitio est Praeceptoris Subtilis (in IV. Sent. Dist: I. q. 2. n. 9.), et in re convenit cum aliis Sacramenti definitionibus ab aliis Theologis allatis; et praesertim cum illis sive Concilii Tridentini, sive Cathechismi Romani (§. 2.).

(2) Pluribus in locis praesertim Hom. LX. ad Pop. Antioch.

gratiam substantialem significat, et gratiarum omnium auctorem, et fontem Christum Dominum. 2. alia Sacramenta in usu consistunt; at Eucharistia etiam dum actu non suscipitur, Sacramenti rationem retinet. *Illud namque in ea excellens, et singulare reperitur*, ait Tridentina Synodus (Sess. XIII. Cap. III.), *quod reliqua Sacramenta tunc primum sanctificandi vim habent, cum quis illis utitur, at in Eucharistia ipse sanctitatis auctor ante usum est.* Dicitur 4. *efficaciter significans*, quia sacramenta non solum vim habent gratiam significandi, sed eam de facto, et efficaciter conferendi. Dicitur 5. *ex institutione Divina*; quia nemo hominum signo sensibili potest gratiam adnectere. Quare S. Augustinus (Cap. XV. in Joann.): *Unde tanta vis aquæ ut corpus tangat, et cor abluat? Ex Dei institutione.* Dicitur tandem *ordinatum ad salutem hominis viatoris*, ut finis innuatur, ob quem Deus voluit Sacramenta instituere, nempe salus aeterna hominis viatoris.

§. 14. *Coroll*: 1. Ex dictis ergo facile eruitur, ad constituendum quodlibet Sacramentum tria necessario requiri; nempe 1. *signum sensibile*; 2. *collatio gratiae*; et 3. *Divina institutio*. Si aliquid horum desit, Sacramentum non subsistit.

§. 15. *Coroll*: 2. falsas omnino esse definitiones ab Haereticis allatas (§. 2.). Sacramentum enim non est nudum, et simplex signum, distinctivum Christianorum a reliquis, uti volunt Sociniani; neque pignus promissionis tantum gratiæ, aut signum speculativum; sed signum practicum, gratiam enim, quam significat, efficaciter confert. Et quidem signum arbitrarium, quia gratiae tum significandae, cum efficiendae vim habet, non natura sua, sed ex Divina institutione.

CAPUT II.

De Sacramentorum existentia.

§. 16. *Animad.* Existere Sacramenta est existere signa quaedam sensibilia divinitus instituta ad significandam, et simul conferendam gratiam hominibus viatoribus, ut salutem consequantur aeternam.

§. 17. *Schol:* In quadruplici Statu homines considerari posse, scilicet 1. in statu innocentiae; 2. in Statu Legis naturae; 3. in Statu Legis Mosaicae; et 4. in Statu Legis Evangelicae, jam pluries dictum est. Porro in quolibet horum Statuum quaeri potest, an extiterint veri nominis Sacramenta. De qua re adest

Dissidium inter Auctores.

§. 18. Et quidem quoad Statum Innocentiae, nonnulla in eo fuisse Sacramenta, quidam Augustinienses asserere non dubitarunt, quos sequitur Fulgentius Bollelli (Lib: 1. Mentis S. Augustini Cap: 20.). Sed his adversantur Doctor Angelicus, et Præceptor Subtilis cum utraque Schola. Quoad Statum Legis Naturae, omnes fere Theologi conveniunt, aliquod in eo extitisse remedium, quo peccatum originis deleretur. Verum illud Sacramentum fuisse, scilicet aliquo sensibili signo, actione aliqua externa parvulis applicatum, negant Durandus, Dominicus Soto, Vasquesius, adfirmant alii cum Doctore Subtili, ejusque discipulis, Suarez, Jueninus, Canus, et alii quamplurimi. Idipsum dicendum de Lege Mosaica, negantibus non paucis, in eo veri nominis Sacramenta fuisse. In statu vero Legis Evangelii extare Sacramenta, si quosdam veteres Haereticos excipias, qui dicebantur Ascodruptae sive Ascodryti;

nemo qui Christianus sit, negare potest. Disputatur tantum cum Haereticis de eorum numero.

§ 19. Et sane inter veteres Haereticos, Manichaei, et Seleuciani Baptismum abjiciebant; Novatiani neque Confirmationem, neque Poenitentiam agnoscebant. Bogomili Eucharistiam; Albigenses Extremam Unctionem; Tanchelinus Ordinem; Taciani Matrimonium e numero Sacramentorum expunxerunt. Inter Recensiores vero Lutherani haec tria Sacramenta admittunt, Baptismum nempe, Poenitentiam, et Ordinationem. Zuingliani tandem Baptismum, Eucharistiam, et Matrimonium. Contra quos omnes stat omnium Catholicorum agmen. Unde sit:

PROPOSITIO I.

In Statu Innocentiae nulla extiterunt veri nominis Sacramenta.

§. 20. Prob: Si in Statu Innocentiae fuissent vera Sacramenta id certe innotuisset revelatione; adeoque id nobis vel ex Sacra Scriptura, vel ex Traditione luculentissime constaret; Atqui nihil de Sacramentis in statu Innocentiae dicunt Scripturæ, atque Traditiones; Ergo etc. Deinde Sacramenta sunt a Deo hominibus data in remedium, ut nempe Divina gratia hominibus per signa sensibilia daretur ad consequendam salutem aeternam; Atqui in statu Innocentiae, homo gratia santificante praeditus erat, donis præcellentibus decoratus; et mediis, atque instrumentis ditatus quibus ad salutem pervenire poterat; Ergo Sacramentis opus illi non erat; Adeoque etc: Tandem Sacramenta sunt signa permanentia; Sed Innocentiae Status brevissimo tempore durare debebat; Ergo credibile non est in eo fuisse instituta Sacramenta; Adeoque etc.

Argumenta opposita solvuntur.

§. 21. *Objic:* In statu Innocentiae fuit Matrimonium; Sed Matrimonium est Sacramentum; Ergo in statu Innocentiae fuerunt Sacramenta.

§. 22. R. conc: maj; dist: min:, est Sacramentum prout consideratur in hac nostra Lege Evangelica, conc:, prout erat in statu Innocentiae, n. min; Ergo etc; n. consm. Matrimonium ad hoc in statu Innocentiae fuit a Deo primitus institutum, ut naturali propagatione genus humanum cresceret, atque multiplicaretur; neque aliud quam hoc solum erui potest ex Dei verbis, Matrimonium instituentis; Legitur quippe (Gen: Cap. I. v. 28.), Deum Adae, et Evæ primis conjugibus, postquam benedixerat illis, ita loquutum: *Crescite, et multiplicamini, et replete terram, et subjicite eam.* Quoniam vero Christus Dominus Novum condens Testamentum voluit, ut Matrimonium esset honorabile in omnibus, et Sanctum, illud ad rationem, et dignitatem Sacramenti evexit; a prima autem sui institutione non fuit sic.

§. 23. *Contra.* Atqui Matrimonium in statu Innocentiae fuit verum Sacramentum; Ergo n. r. Prob: subsm. Apostolus ad Ephesios scribens (Cap. V. v. 32.) vocat Matrimonium *Sacramentum magnum*; Ergo etc.

§. 24. R. Duplici ex capite potuit Apostolus, Matrimonium, laudato in loco Magnum Sacramentum appellare; vel primo nempe, quia loquebatur de Matrimonio, quod erat suo tempore, a Jesu Christo jam ad Sacramenti rationem elevato; vel 2. quia licet loqueretur etiam de Matrimonio in statu Innocentiae, Sacramentum in sensu lato accipiebat. Quocumque autem sensu loquutus sit Apostolus, nihil nostrae thesi officit. Et sane si loquutus est de Matrimonio prout erat suo tempore, et tunc optime dicit, illud esse Sa-

cramentum, et quidem magnum; significabat enim admirabilem illam, atque intimam spiritualem unionem ipsius Christi cum Ecclesia; et quidem in hoc sensu loquutum fuisse, ipsiusmet verba satis clare ostendunt; ait siquidem *Sacramentum*, scilicet Matrimonium, *hoc*, scilicet praesentis status, non autem Innocentiae, aut alterius status, *magnum est*; *Ego autem dico in Christo, et in Ecclesia*. Si vero ibi loquutus est de Matrimonio etiam Status innocentiae, et tunc nihil officit quod appellaverit Sacramentum; Appellavit nempe Sacramentum, non stricte sumptum sed late, quatenus significabat unionem Christi Sponsi cum Ecclesia sponsa. Veri enim nominis Sacramentum est signum practicum, quod nempe efficit quoque quod significat (§. 7. 13.). Iam vero Matrimonium significat quidem unionem Christi cum Ecclesia, at illam non efficit; Est ergo signum speculativum, non practicum; adeoque etc.

§. 25. *Contra.* Atqui non minus Matrimonium Legis Evangelicae, quam illud status Innocentiae fuit verum, sacramentum; Ergo n. r. Prob. subsm. In Matrimonio præsentis status tria sunt bona; nempe proles, fides, atque Sacramentum; Sed, teste S. Augustino (Lib: 1. de Nupt:, et concup: Cap: 21.), hæc eadem bona fuerunt in Paradiso; Ergo etc.

§. 26. R. conc: maj: dist. min; et ibi nomine Sacramenti intelligit S. Doctor Sacramentum stricte et proprie sumptum, n., secus, conc: min: Ergo etc: n. consm. Sacramentum uti unum ex bonis Matrimonii, non significat Sacramentum stricte sumptum, sed charitatis vinculum, quo conjuges invicem adstringuntur, ut sint duo in carne una, et vinculi Matrimonialis indissolubilitatem, ut nequeant conjuges ipsi, quovis prætextu penitus ab invicem separari, et alteri nubere; quia *quod Deus conjunxit, homo non separet*. Porro bonum hoc in Matrimonio primorum Parentum in Terrestri Paradiso quisque concedere non dubitabit.

§. 27. Dices. In statu Innocentiae fuit lignum vitæ; Sed lignum vitæ, ex supradicto Augustino, erat Sacramentum; Ergo etc.

§. 28. R. Lignum vitæ impropric tantum et late ab Augustino appellatur Sacramentum, quatenus scilicet significabat virtutem absconditam, quae illi inerat, corpora a corruptione, et morte conservandi, si status innocentiae perdurasset, idque reparando humidum radicale, dissipatum actione nativi caloris.

PROPOSITIO II.

In Statu Legis naturæ aliquod admittendum est Sacramentum.

§. 29. Prob: Nam, Nec ideo credendum est, scribit S. Augustinus (Lib: V. contra Julianum, Cap. II.): ante Circumcisionem famulos Dei, quan» doquidem eis inerat Mediatoris fides in carne ven» turi, nullo Sacramento ejus opitulatos fuisse par» vulis suis; quamvis quid illud esset, aliqua ne» cessaria causa Scriptura Sacra latere voluerit. Nam » et sacrificia eorum legimus, quibus utique san» guis ille figurabatur qui solus tollit peccata Mundi ». Et sane scripsit Auctor Tract. de Operibus Cardinalibus Christi (Oper. S. Cypr: p: 318.) Sane ori« ginale peccatum, quod a primis parentibus in to« tam generis humani successionem defluxit, omni » tempore aliquibus remediis oportuit expiari, licet » vim plenam significandi non habuerint, donec ad rem » ipsam ventum est, quae figurarum operiebatur ve» lamine. Et licet Sacramentorum arcana omnibus » non paterent, virtus tamen, et effectus eorum igno» rari non poterat. »; Ergo etc. Deinde in Lege Naturae fuit Circumcisio a Deo primitus Abrahæ praecepta; Igitur etc: Tandem in eo statu non defuerunt Sacrificia ad Deum colendum actibus externis; Ergo et

esse debuerunt Sacramenta, ad homines Sanctificandos. Quae omnia paucis complectitur S. Gregorius Magnus (Lib: IV. Moral. C. 3.), dicens: *Quod apud nos valet aqua Baptismatis, hoc egit apud Veteres vel pro puerulis sola fides* (intellige signo aliquo externo expressa), *vel pro majoribus virtus sacrificii, vel pro his, qui ex Abrahæ stirpe prodierant Mysterium Circumcisionis.*

Quaeres. Quale fuerit Sacramentum illud, seu remedium pro parvulis?

§. 30. R. admodum probabile est fuisse fidei professionem in Christum venturum, signo aliquo exteriori et sensibili expressam, per quam parvuli Deo vel a parentibus, vel ab aliis offerebantur, et consecrabantur. Nam: *Non est aliud sub Cælo nomen datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri* (Act: IV. v. 12.). Quare « Superioribus temporibus, omnino quidem latuit (ait S. Augustinus) (Lib: II. de Nuptit; et Concupiscent. C. II.), Sacramentum justificationis ex fide. Eadem tamen fides Mediatoris salvos justos faciebat antiquos, pusillos cum magnis: . . Quia sicut credimus nos, Christum in carne venisse, sic illi venturum; sicut nos mortuum, sic illi moriturum; Hinc scribit S. Thomas (3. p: q: art: 4. ad 2.), probabile esse, quod parentes fideles pro parvulis natis, et maxime in periculo existentibus, aliquas Deo preces funderent, vel aliquam benedictionem eis exhiberent, (quod erat quoddam signaculum fidei) sicut adulti pro seipsis ».

PROPOSITIO III.

In veteri Lege Circumcisio fuit veri nominis Sacramentum, in peccati originalis remedium a Deo institutum.

§. 31. Prob. 1. Ex Scriptura. In Genesi (Cap: XVII. v. 12.) dixit Deus: *Infans octo dierum circumcidetur in vobis etc . . . Masculus, cujus praeputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de propulo suo.* Quo posito, en argumentum. In laudatis Geneseos verbis, tria, ut patet inveniuntur 1. Dei praeceptum de Circumcisione suscipienda; 2. Signum sensibile, sive actio externa et sensibilis Circumcisionis, et 3. promissio gratiae illam suscipientibus, sicuti deletionem a populo Dei, in supplicium illorum qui eam non susciperent; Atqui haec tria ad quodlibet Sacramentum constituendum concurrunt (§. 14.); Ergo Circumcisio etc:

§. 32. Prob: II. ex Patribus. S. Augustinus (Lib: II. contra Petilian: c. 72.), Certe, ait, antiquus Populus Dei, Circumcisionem pro Baptismo habebat. « Et Julianum exagitans (Lib: III. c: 18.): » Responde illi dicebat, Responde si potes, cur ipse Isaac nisi » Baptismatis Christi signo, Circumcisus die octavo » fuisset, periisset anima ejus de Populo suo? Ex » plica si potes: tanta poena quo merito plecteretur, » nisi ab hac illo Sacramento liberaretur? » Nihil clarius hoc dici posse videtur. Tamen dilucidius se expressit Innocentius III. Qui de Baptismo loquens (Cap: *Majores* de Baptismo) hanc veritatem veluti inconcussam, et nullimode in dubium revocandam supponit; ait siquidem: *Etsi Originalis culpa remittebatur per Circumcisionis Mysterium.* Neque minus clare se expressit Hugo Victorinus (Lib: 1. de Sac: P. 12. Cap. 2.), dicens: « Manifeste datur intelligi, » Sacramentum Circumcisionis ad hoc institutum, ut

» per ipsum homo a debito primae praevaricationis liberaretur ». Qua de re, merito inquit Praeceptor Subsilis (IV. Sanct: 1. q. 6. 12.) « Hic supponendum est tamquam certum, quod per Circumcisionem peccatum originale delebatur, quod patet per » auctoritates Sanctorum ». Ergo etc:

PROPOSITIO IV.

Circumcisio ex opere operato gratiam ad peccatum Originale delendum conferebat.

§. 33. Prob: hac theologica ratione. Nam si Circumcisio non ex opere operato, sed ex opere operantis talem gratiam sanctificatem conferret, eam conferret vel ex meritis administrantis Circumcisionem, vel ex meritis Circumcisionem recipientis; Atqui neutrum dici potest: non primum, quia etiam peccatores administrabant Circumcisionem; non secundum, quia infantes meriti capaces non erat. Ergo etc. Ulterius si ex opere solum operantis, et non uti Sacramentum, Circumcisio vim haberet gratiam conferendi ad tollendum peccatum originale, illam non haberet per fidem in Christum venturum, et intuitu meritorum vitae, passionis, et mortis ejus futurae. Atqui hoc est omnino falsum (§. 30.); Nam « illa » est fides salva, scribit S. Augustinus (Epist: 190. » alius 157. ad Optatum), qua credimus, nullum » hominem sive majoris, sive parvulae quamlibet, » et recentis aetatis, liberari à contagione mortis an» tiquae, et obligatione peccati, quod prima nativi» tate contraxit, nisi per unum Mediatorem Dei, » et hominum, hominem Christum Jesum; Ergo etc.

PROPOSITIO V.

In Lege scripta aliqua extiterunt Sacramenta.

§. 34. *Prob.* Nam in Lege Scripta perduravit Sacramentum illud, in Lege naturae pro femellis a Deo constitutum in remedium peccati; et fuit in praxi Sacramentum Circumcisionis; Ergo etc. Deinde in ea Lege multi fuerunt Ritus, multa Sacrificia, caeremoniae multæ stabiles, atque fixæ; quæ legalem, atque externam conferebant sanctitatem, internam vero sanctitatem per Jesum Christum obtinendam præfigurabant; Ergo etc:

Adversariorum oppositiones solvuntur.

§. 35. *Objic*: Apostolus ad Corinthios scribens (Ep: I. Cap: VII. v. 19.), ait: *Circumcisio nihil est;* et ad Galatas (Cap. V. v. 15.): *Neque Circumcisio aliquid valet;* Ergo Circumcisio neque gratiam conferebat, neque remedium erat adversus originale peccatum; adeoque non erat Sacramentum.

§. 36. R. dist: antec: Circumcisio etc: considerata in praesenti statu Legis Evangelicae, conc:, considerata in Statu Legis Naturae, et Scriptae, n. antec: ; Ergo etc: n. utramque consam. Cum loquitur Paulus de Circumcisione, eamque nihil appellat, et nullius valoris, de Circumcisione loquitur considerata in statu Legis Evangelicae, in qua institutis a Christo Novis, iisque efficacioribus Sacramentis, vetera Sacramenta vim omnem, aque valorem jam amiserant. Id clare patet ex verbis ipsis Apostoli; Ait enim (ad Gal. Cap. V. v. 15.); *In Christo Jesu, neque Circumcisio aliquid valet;* Quasi dicere vellet; adeo per Sacramenta Novae Legis, Veteris Legis Sacramenta cessarunt, ut Circumcisio ipsa, tam apud Veteres celebrata, nunc in Christo Jesu

nullius effecta sit valoris; quippe instituto Baptismo, cujus loco ipsa erat, cessavit esse quod fuit, ut hodie nihil sit. Nostram itaque thesim non infirmat adducta auctoritas.

§. 37. *Contra.* Atqui ex Apostolo, Circumcisio nec etiam in tempore sive Legis Naturæ, sive Legis Scriptae aliquid valebat; Ergo n. r. Prob: subsm. Idem Apostolus ad eosdem Galatas scribens (Cap: IV. v. 9.), vocat Veteris Legis Sacramenta *infirma et egena elementa;* Ergo omni virtute gratiam conferendi destituta erant; adeoque.

§. 38. R. neg: antec: cum consa. Nam laudatis verbis non negat Apostolus Sacramentis Veteris legis vim omnem, atque efficaciam conferendi gratiam, ita ut nihil penitus essent, atque ad nihil valerent, sed vult Galatas a servitute Idolorum retrahere, cui denuo se subjicere videbantur. Vocat nempe Apostolus Idola gentium *infirma, et egena elementa*, indigna quae cultu, et honore servitutis prosequerentur, maxime a Galatis, qui per Evangelii praedictionem, veram Christi Religionem, et Idolorum vanitatem cognoverant; En clarissima ejus verba: *Sed tunc quidem ignorantes Deum, iis quum natura non sunt dii, serviebatis. Nunc autem cum cognoveritis Deum, imo cogniti sitis a Deo: Quomodo convertimini iterum ad infirma, et egena elementa, quibus denuo servire vultis. Dies observatis, et menses, et tempora, et annos.* Ergo nihil ex adducto testimonio contra nostram thesim efficitur.

§. 39. *Contra.* Atqui etiam Sacramenta Veteris Legis, ex Apostolo, ne quidem Circumcisione excepta, infirma sunt et egena elementa; Ergo a capite argm. Prob: subsm. Si non fuissent infirma, et egena elementa, gratiam, maxime Circumcisio, contulissent; Atque gratiam non conferebant; Ergo etc.: Prob: min: et quidem de Circumcisione. Si Circumcisio gratiam conferendi vim haberet, praesertim Abrahae

contulisset, cui primitus a Deo praecepta fuerat; Atqui, teste eodem Apostolo ad Romanos (Cap. IV. v. 10.), In Circumcisione non fuit Abraham justificatus; Ergo etc.

§. 40. R. Ideo Abraham per Circumcisionem gratiam non accepit, quia, ut ait Doctor Subtilis (n: 11.) « Abraham jam attigerat, vel transcen-
» derat illum gradum, ad quem determinata fuerat
» Circumcisio. Et intelligo, nihil ei intus contulit
» per modum Sacramenti, sive virtute operis operati;
» sed credo, quod ei contulerit per modum meriti;
» sive virtute operis operantis: quia credo quod actus
» circumcidendi se, ex obedientia Dei, et ex chari-
» tate procedens, ei fuit meritorius, sicut et immo-
» latio Isaac. » Neque ex hoc inferri potest, Circumcisionem, gratiam ex opere operato non contulisse; Nam ut respondet idem Doctor, significabat certitudinaliter gratiam vel fieri, si non adsit
» obex, vel jam inesse. Sicut si B. Virgo fuisset in
» Conceptione Flii in summa plenitudine gratiae ad
» quam Deus disposuit eam perventuram, si postea
» fuisset baptizata, nullam ibi gratiam recepisset de
» novo, tamen Baptismus non fuisset in ea signum
» falsum, vel incertum, quia gratiam significaret,
» vel tunc fieri, vel prius datam tunc inesse ».
Adeoque etc.

§. 41. *Objic.* 2. Circumcisio data fuit in signum quo distinguerentur Israelitae a reliquis Populis; Ergo non fuit Sacramentum.

§. 42. R. Per circumcisionem veluti per speciale quoddam signum a Deo Israelitico populo datum, Israelitae a reliquis, qui non erant de populo Dei, hoc est veluti filii Dei, a reliquis, qui ex Patre diabolo erant, quia Deos colebant, distinguebantur; At Non hoc solum praestabat Circumcisio, sed insuper gratiam conferebat, ut jam dictum est §. 32.

§. 43. *Contra*. Atqui Circumcisio purum, simplexque signum fuit, et gratiam non conferebat; Ergo n. r. Prob: subsm. Gratia confert jus ad gloriam. Si ergo Circumcisio contulisset gratiam, jus quoque ad gloriam contulisset. Sed hoc jus non conferebat Circumcisio, cum Cælorum januae tunc clausæ essent, et nonnisi peracta Redemptione apertae fuerint; Ergo etc.

§. 44. R. semper statim recipiendam, n., secus, conc: et in data dist: conc: primo conseq: n. min:. et ult.: consm. Cum namque per fidem in Christum venturum suam efficaciam haberet Circumcisio; cumque aperitio Regni Celestis Christo triumphatori reservata erat, ideo ejus adventus, et ab eo completa Redemptio expectanda erat. « Scire debet fraternitas vestra, apposite Venerabilis Beda (in illud Lucae: *Postquam consumati sunt.*) « quia idem salutiferae » curationis auxilium Circumcisio in Lege contra » originalis peccati vulnus agebat, quod nunc Bap- » tismus agere revelatae gratiae tempore consuevit, » excepto quod Regni Caelestis januam necdum in- » trare poterant, donec adveniens, benedictionem da- » ret qui Legem dedit ». Quid clarius?

§. 45. *Contra*. Atqui Circumcisio nullimode gratiam conferebat; stat ergo argumentum. Prob: subsm. Sacramenta Veteris Legis ex Decreto Eugenii Papæ IV. in Concilio Florentino, in hoc a Sacramentis Novae Legis differebant; quod *illa non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam figurabant: hæc vero nostra et continent gratiam, et ipsam digne suscipientibus conferunt;* Ergo etc.

§. 46. R. dist: antec: Sacramenta Legis Mosaicae, conc. Circumcisio etiam, n. antec:; Ergo etc:, n. consm. Cum Circumcisio non fuerit ex Moyse, sed ex Patribus, et Legis Naturae Sacramentum, credibile non est, Eugenium in tali Decreto illam comprehendere, et cum aliis Mosaicae Legis Sacramentis

confundere; eo vel maxime: quod suus Praedecessor Innocentius III. jam (§. 33.) apertissime docuerat; peccatum originale per Circumcisionis mysterium remitti in Lege veteri, et sic vitari damnationis periculum; adeoque Sacramento Circumcisionis gratiam conferri, sine qua peccatum non fuisset remissum.

PROPOSITIO VI.

Christus Dominus vera instituit Sacramenta.

§. 47. Prob. 1. ex Concilio Tridentino (Sess. VII. Can. 1.): *Si quis dixerit Sacramenta novae Legis non fuisse omnia a Jesu Christo Domino nostro instituta, anathema sit.* Ergo etc.

§. 48. Prob. 2. hac ratione. Ad constituendum verum Sacramentum tria requiruntur (§. 14.); nempe signum sensibile, collatio gratiae, et institutio Divina; atqui talia inveniuntur in quibusdam ritibus in Ecclesia observatis, puta in Baptismo (idem dic de aliis Sacramentis), Ex. gr., ibi enim adest institutio Divina: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes* eos etc. (Marci ult. v. 16.): *signum* sensibile; nempe *aqua. Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto* (Joann. Cap. III. v. 3.); et tandem collatio gratiæ; qui *baptizatus fuerit salvus erit*; Ergo etc.

(1) Pro hac sententia vid: Frassen; Tomo X. De efficacia Circumc: pag. 40. Iuenin Tomo in f. de Sac: dissert: 2. art: 2. Henno Tomo II. Tract. de Sac: Art: 2. Concl: 1.

PROPOSITIO VII.

Sacramenta Novae Legis a Christo Domino instituta, sunt septem, nec plura, nec pauciora; videlicet. Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Poenitentia, Extrema unctio, Ordo, et Matrimonium.

§. 49. Prob. ex Concilio Florentino (In Decreto pro Armenis.) ubi Sacramenta a Christo Domino instituta, supradicto numero, nomine, et ordine recensentur; nec non et ex supra citato (§. 47.) Concilio Tridentino, in quo legitur: *Si quis dixerit Sacramenta novae legis non fuisse omnia a Jesu Christo Domino nostro instituta, aut esse plura, vel pauciora quam septem, videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam unctionem, Ordinem, et Matrimonium; aut etiam aliquod horum septem non esse vere, et proprie Sacramentum; anathema sit:* Ergo etc.

§. 50. Prob: 2. quoad singula Sacramenta ex Sacra Scriptura. Et primo de Baptismo ait Christus (Joann: Cap: III. v. 5.): *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto non potest introire Regnum Dei.* Secundo, de Confirmatione legitur (Act: cap: VIII. v. 17.): quod Apostoli *imponebant manus super illos*, hoc est super baptizatos, *et accipiebant Spiritum Sanctum*, hoc est gratiam. Tertio, de Eucharistia ita dixit Christus Dominus (Joan: VI. v. 55.): *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam*, scilicet gratiam. Quarto de Poenitentia, ita praecepit Dominus Jesus discipulis suis, et in illis omnibus aliis in eorum ministerio successoribus (Joann: XX. v. 13.): *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis; et quorum retinueritis retenta sunt.* Quinto, de Extrema Unctione sic habetur in Epistola S. Jacobi (Cap: V. v. 14.): *Infirmatur quis in vobis! In-*

ducat Presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, et oratio fidei alleviabit infirmum: et si in peccatis sit, remittentur ei. Sexto, de Ordine. Scribit namque Apostolus ad Timotheum (Epist: II. Cap: 1. v. 6.): *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum.* Septimo tandem, de Matrimonio, inquit de eo idem Apostolus (Ephes: Cap: V. v. 32.): *Sacramentum hoc magnum est.* Atque hæc ex Scripturis pro numero septenario Sacramentorum, breviter innuimus. Ceterum Septenarius Sacramentorum numerus adeo in Ecclesia existit traditione firmatus, ut « etiamsi, ait S. Hieronymus (Lib: adv: Luciferian:) Sacrae Scripturae auctoritas non subesset, totius Orbis in hanc » partem consensus instar praecepti obtineret ».

§. 51. Prob: III. hac ratione congruentiae. Homo dupliciter considerari potest, in ordine scilicet ad seipsum, et in ordine ad societatem, vel Rempublicam cujus est membrum. Si consideretur in ordine ad seipsum indiget generatione, nutritione corroboratione, medicina, refocillatione virium debilitatarum. Si vero consideretur in ordine ad Rempublicam indiget potestate, et Magistratu ad regendum alios, illosque in esse spirituali, sive gratiae multiplicatione carnali individuorum; congruum ergo fuit septem adjutoria hominibus in Nova Lege conferri a Christo Domino; qui dixerat, (Matth: Cap: XI. v. 28.): *Venite ad me omnes, qui laboratis, et oneratis estis, et ego reficiam vos;* quod et per Septem Sacramentorum institutionem, completissime fecit. *Per Baptismum enim*, dicitur in Florentina Synodo, *spiritualiter renascimur, per Confirmationem augemur in gratia, et roboramur in fide: Renati autem, et roborati nutrimur divina Eucharistiae alimonia. Quod si per peccatum ægritudinem incurrimus animæ, per Poenitentiam spiritualiter sanamur: Spiritualiter etiam et corporaliter* (prout ani-

mae expedit): *per Extremam Unctionem. Per Ordinem vero Ecclesia gubernatur, et multiplicatur spiritualiter. Per Matrimonium corporaliter augetur* (1).

Adversariorum objectionibus occurritur.

§. 52. *Objic*: 1. Si Sacramenta Novæ Legis forent numero septem, id colligeretur ex Scripturis; Atqui nihil colligitur, quoad hoc, ex Scripturis; Ergo falsa propositio.

§. 53. R: dist: maj: sive implicite, sive explicite, conc:, explicite tantum, n. maj:, et dist: min:; Ergo etc. n. consm. Admittimus et nos, in Scripturis Sanctis aperte, et explicite non dici, quod novae Legis Sacramenta sint numero septem, nec plura, nec pauciora, at quod implicite saltem id ex Sacris Scripturis non colligatur, id est quod, omnino negamus, quemadmodum supra (§. 50.) sufficienter ostensum est.

§. 54. *Contra.* Atqui ne quidem implicite colligitur ex Scripturis Sacramenta esse septem; Ergo n. r. Prob: subsm. Ex Scripturis ad summum implicite colligitur Sacramenta esse duo; Ergo etc. Prob: antec. Novae Legis Sacramenta ex latere Jesu Christi e Cruce pendentis fluxerunt; Atqui ex hujusmodi latere, sanguis et aqua effluxit; duo scilicet Sacramenta, Baptismus, nempe, et Eucharistia, juxta non paucos Patres Græcos; Ergo etc.

§. 55. R. Esto multi Graeci Patres per sanguinem, et aquam ex latere aperto Jesu Christi e Cruce pendentis, profluentes, intellexerint per aquam Bap-

(1) Consul: Scotus in IV. dist: 2. q: 1. n. 3. S. Bonav: Tomo I. Opusc: Breviloquii P. VI. c. 2. Frassen. T. X. Disp: Proem: Art: I. q: 5. Concl: 2. aliosque cum D. Thoma.

tismum, et per sanguinem Eucharistiam; non ideo fecerunt id, quasi duo tantum supradicta Sacramenta recognoscerent, et caetera excluderent; sed quia illa Sacramenta erant speciali mentione digna, principalia, et magis communia. Ceterum cum de aliis Sacramentis agitur, ipsi constanter illa admittunt.

§. 56. *Contra*. Atqui illa duo tantum Sacramenta, et non alia Graeci Patres recognoverunt; Ergo etc.: Prob: sub: Ecclesia Græca, uti patet ex confessione Fidei, quam emisit, solum duo illa Sacramenta recognoscit; *Credimus Evangelica Sacramenta esse ea quæ Dominus instituit in Evangelio, et ipsa esse duo, nempe Baptismum, et Eucharistiam, ampliorem numerum Sacramentorum non habemus;* Ergo etc.

§. 57. R. Falsum omnino est, laudatam in argumento fidei confessionem, Ecclesiae Græcæ confessionem esse; Ecclesia quippe Græca cum Latina circa numerum Sacramentorum convenire notum est, nec in ipso Concilio Florentino, in quo de Sacramentis expresse actum est, de tali numero Græcos inter et Latinos Patres Controversia fuit. Illa itaque Fidei confessio fuit Cyrilli Lupari Patriarchae Constantinopolitani Calvinizantis, qui illam Anno 1633. imprimi curavit. Quare merito a Cyrillo Beroensi ejus successore Anno 1638. damnatus fuit his verbis: *Cyrillo dogmatizanti, et credenti non esse septem Sacramenta Ecclesiae . . . . sed mentienti non esse tradita a Christo in Evangelio, nisi solum Baptismum, et Eucharistiam Anathema.*

§. 58. Objic. 2. Lotio pedum fuit veri nominis Sacramentum; Ergo Sacramenta sunt plura, quam septem.

§. 59. R. Dist. ans. Lotio pedum potest dici Sacramentum improprie, conc., proprie, n.; Ergo etc. n. consm. Lotio pedum si fuisset veri nominis Sacramentum ab Ecclesia fuisset recepta; Atqui numquam ut Sacramentum fuit recepta; Unde ad sum-

mum dici potest Sacramentum improprie, quatenus nempe habet sensum mysticum, et est signum alterius rei sacrae, signum scilicet charitatis, et humilitatis Christi, et fidelium; sicuti etiam puritatis, qua debemus ad Eucharistiam accedere.

§. 60. *Contra.* Atqui pedum lotio est vere et proprie Sacramentum. Ergo n. r. Prob. subsm. In lotione pedum (Joannis Cap. XIII.) tria illa concurrunt, ad verum Sacramentum constituendum necessaria (§. 14.); Nam 1. adest signum sensibile; externa nempe ablutio; *Cœpit lavare pedes*; 2. Institutio Divina, et praeceptum eam adimplendi: *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita et vos faciatis;* 3. promissio gratiae: *Si non lavero te, non habebis partem mecum;* Ergo pedum lotio etc.

§. 61. R. Christus praescribens lotionem pedum non instituit Sacramentum; sed dedit simplex exemplum humilitatis, et charitatis exercendae cum proximo: *Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita et vos faciatis.* Neque verbis: *Si non lavero te, non habebis partem mecum*, significavit gratiae promissionem; sed vel privationem Eucharistiae, quam mox erat instituturus, et ipsi dispensaturus, et aliis Apostolis, quo doceret nos non vulgari, sed maxima qua possumus animi puritate ad tam salutare, divinumque Sacramentum digne suscipiendum accedere debere; vel se, cum propter inobedientiam, si ex corde, et pertinaciter recusasset, puniturum negando ei partem in Regno Dei.

§. 62. *Contra.* Atqui Christus pedum latione verum instituit Sacramentum; Ergo nil solutum. Prob: subsm. Eo sensu intelligendum, est, quod pedum lotione Christus fecit, quo Sancti Ecclesiae Patres illud intelligunt; Atqui multi Ecclesiae Patres, inter quos S. Cyprianus (Ser: de lot: pedum) S. Ambrosius (Lib: 3. de Sac:), et S. Bernardus (Serm: 1.

de caena Domini), illud intelligunt de Sacramenti institutione; Ergo etc:

§. 63. R. ad argumentum. Praedicti Ecclesiae Patres, et si qui sunt alii, qui pedum lotionem inter Sacramenta adnumerare videntur, Sacramenti nomen late usurpant, non stricte. Nihil enim aliud innuere volunt, quam lotionem pedum fuisset signum sive puritatis conscientiae, qua quilibet homo accedere debet ad Sacram Eucharistiam sumendam. Vel simbolum humilitatis Jesu Christi, et ejusdem exemplum, ut quod alias voce docuerat dicens (Matt: XI. v. 29.): *Discite a me, quia mitis sum, et humimilis corda*, tunc confirmabat facto: *Exemplum dedi vobis ut quemadmodum ego feci, ita et vos faciatis*; vel tandem signum mutuae, et fraternae charitatis; unde et subjunxit: *Et vos debetis alter alterius lavare pedes.* Nil ergo Patres contra nos docent.

Quaeres. *Quodnam sit discrimen inter Sacramenta novæ, et veteris Legis?*

§. 64. R. Hoc est discrimen inter Sacramenta Veteris, et novae Legis, quod *illa*, inquit Florentina Synodus (In Decreto pro Armenis.), *non causabant gratiam, sed eam solum per Passionem Christi dandam esse figurabant*: *hæc vero nostra et continent gratiam, et ipsam digne suscipientibus conferunt.*

CAPUT II.

De Materia, et forma Sacramentorum novæ Legis.

§. 65. *Animad. Omnia Sacramenta Novæ legis, tribus perficiuntur*, ait Florentina Synodus (In Decreto Eugenii IV. pro Armenis.), *videlicet rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, et persona Ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, quorum si aliquid desit, non perficitur Sacramentum.*

§. 66. *Def.* 1. *Rei*, *vel materiae nomine hic intelligitur id omne quod in Sacramento indeterminatam habet significationem*, *sive indeterminatum*, *et indifferens est ad esse Sacramenti*; *sive sit res proprie sensibilis*, *sive non*. *Nomine* autem *verborum intelligitur id per quod res seu materia determinatur*, *sive interim sit verbum proprie*, *sive æquivalens*. Sic ex. gr. *Aqua* in Baptismo, *significare potest*, ait Angelicus Doctor (Q. 60. Art. 6.), *et ablutionem propter suam humiditatem*, *et refrigerium propter suam frigiditatem*: en quid indeterminatum, et indifferens ad esse Sacramenti; *Sed cum dico*: *Ego te baptizo*, *manifestatur*, *quod aqua utimur in Baptismo ad significandam emundationem spiritualem*: En forma, quæ materiam determinat.

§. 67. Porro tam de Materia, quam de forma Sacramentorum quædam necessaria hic adversus Hæreticos examinanda occurrunt. Ac primo: Veteres quidam Hæretici fuere dicti Pauliciani, qui omnem Sacramentorum efficaciam verbis, seu formæ tribuebant; contra vero Lutherani, et Calvinistæ illam rei tribuunt. Et hi quidem de forma Sacramentorum loquentes volunt, verba debere esse concionatoria. Cum namque isti asserant homines justificari per solam fidem promissionum Christi, ipsis imputata Christi justitia, hinc docent, verba esse debere concionatoria in Sacramentis, *ut*, ratio est Calvini (Lib. IV. Inst. Cap. XIV. n. 4.), *clara voce a Ministro prædicata*, *plebem eo manuducant*, *quo signum tendit*. Quibus notatis, sit modo.

PROPOSITIO I.

Christus Dominus omnes materias, et formas Sacramentorum, quoad substantiam determinavit.

§. 68. Prob. Ille materias et formas Sacramentorum determinavit, qui Sacramenta instituit; Atqui Christus Dominus Sacramenta instituit: Ergo etc. Prob. maj. Sacramenta sunt signa sensibilia, quae gratiam efficaciter significant ex Divina institutione (§. 13.); Atqui si materiæ, et formæ Sacramentorum non fuissent a Christo determinatæ, Sacramenta talia non essent; Ergo etc. Tandem si Christus materias omnes Sacramentorum quoad substantiam non determinasset, potuisset aliquando Ecclesia tales formas et materias, quoad substantiam mutare; Atqui Ecclesia nec umquam hoc fecit, nec facere posse declaravit; Ergo etc. Prob. min. In Concilio Tridentino (Sess. XXI. C. 2.) ita legitur: *Declarat* (Synodus) *hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret, vel mutaret., quae suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, et locorum varietate, magis expedire judicaret;* Ergo etc. Quare quaelibet mutatio essentialis tum materiae, cum formae irritat Sacramentum.

PROPOSITIO II.

In Sacramentis conficiendis non verba concionatoria sed consecratoria necessaria sunt, et sufficiunt.

§. 69. Prob. Illa verba in Sacramentis conficiendis necessaria sunt, et sufficientia, quæ Christus Dominus determinavit (§. 68.), adhibuit, et adhibenda in Ecclesia praecepit; Atqui Christus in Sacra-

mentis conficiendis Verba consecratoria determinavit, adhibuit etc. Ergo illa verba etc. Prob. min. Verba consecratoria illa sunt, quae rem, seu materiam consecrant; unde Sacramentum exurgit; juxta illud S. Augustini (Tract. 80. in Joan.): *Accedit Verbum ad elementum, et fit Sacramentum;* quaeque simul cum apta materia per se, et *ex opere operato* sanctificant, et consecrant suscipientem; Atqui talia sunt verba a Christo Domino determinata; statim enim ac verba proferuntur a Christo determinata pro tali Sacramento, Sacramentum perficitur, ac suscipiens, modo sit dispositus, sanctificatur, et consecratur; Ergo etc. Adde quod si Christus formam Sacramentorum voluisset esse verba non consecratoria, sed concionatoria, vel promissoria, non satis omnium hominum saluti consuluisset; Nam cum infantes, et adulti sive surdi penitus, sive perpetuo amentes, conciones percipere non possint, neque proinde in eis fides promissionum excitari potest; capaces non forent alicujus Sacramenti. Hoc autem falsum est; Ergo etc. (1).

Hæreticorum objectiones solvuntur.

§. 70. *Objic.* 1. Quod Christus in Sacramentis conficiendis statuit adhibendum, adhiberi sine repugnantia debet; Atqui Christus formam concionatoriam adhibendam esse præscripsit; Ergo falsa propositio. Prob: min: Christus (Matth: ult. v. 19.) præcepit discipulis suis, dicens: *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Flii, et Spiritus Sancti.* Ergo etc.

§. 71. R. admissa auct:, n. consm. Tantum

(1) Vid. Henno de Sacram, Disp. III. q. V. Antoinè ibid. Cap. II. Art. IV.

abest ut ex laudatis Christi Domini verbis eruatur formam in Sacramentis conficiendis debere esse concionatoriam, quin potius oppositum evidentissime colligitur. Et sane duo verborum genera ibi distinguntur, alterum quæ pertinet ad doctrinam, et instructionem adultorum qui baptizandi erunt, alterum quod pertinet ad formam Sacramenti conficiendi. Primum genus comprehensum illo verbo *Docete*, concionatorium quidem est, et inservit ad erudiendum adultum in doctrina fidei, qua disponatur ad suscipiendum Baptisma; Cum namque accedentem *ad Deum oportet credere* (Heb: XI. v. 6.); cumque *Fides sit ex auditu, auditus autem per verbum Christi;* et Verbum Christi audiri non possit sine predicante, propterea antequam adultus baptizetur, necesse est præcedat prædicatio fidei, ut fides habeatur quæ sit in adulto dispositio ad Baptismum; Secundum genus vero comprehensum illis Verbis: *Baptizantes eos in Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*, consecratorium est, non concionatorium, et inservit ad formam Baptismi, ut cuilibet innotescit. Cum ergo in laudato textu nihil habeat commune: *Docete omnes* gentes cum verbis formæ Baptismatis: *Baptizantes eos etc*: sequitur ex illis non erui, in Sacramentis conficiendis necessaria esse verba concionatoria.

§. 72. *Contra.* Atqui ex laudatis Christi Domini verbis colligitur, verba in Sacramentis conficiendis, veluti in Baptismo, debere esse concionatoria; Ergo n. r. Prob: subsm. Idem Christus de Baptismo loquens apud S. Marcum (Cap. ult: v. 16.) ait: *Qui crediderit, et bablizatus fuerit salvus erit.* Atqui fides habetur, seu saltem excitatur per concionem; Ergo etc.

§. 73. R. admitt: auctoritatem dist: min: Atqui etc: fides in adultis tamquam dispositio ex concione precedente habetur, aut saltem excitatur, conc: tamquam pars essentialis Sacramenti, ex concionato-

ria forma excitatur, et habetur, nego min:; Ergo etc: n· consm. Cum in adultis Christus Dominus fidem exigat antequam baptizentur, illam non exigit uti partem essentialem Sacramenti Baptismatis, sed tantum veluti dispositionem ad illud; et quoniam hæc sine concione haberi nequit, ideo concionem ad Baptismum præmittendam esse præcepit. Sane longe diversum est in Ecclesia quod faciunt Sacri Ministri Chatecumenos in fide erudiendo, ac faciunt postea alii dum actu illos baptizant.

§. 74. *Cantra*. Atqui in Sacramento Baptismi verba concionatoria sunt adhibenda, Ergo stat argm. Prob: subsm. Apostolus (Ephes: Cap. V. v. 26.) vocat Baptismi Sacramentum lavacrum aquae in verbo vitae; ait Siquidem: *Mundans eam*, nempe Ecclesiam, *lavacro aquæ in verbo vitæ*. Sed verbum vitæ est concio; Ergo etc.

§. 75. R. concessa maj: dist: min: concio sola n: min: secus n. min; cum consa. Omne verbum quod divinæ institutionis est atque ex ore Dei procedit verbum vitæ est audientibus, atque facientibus illud. Quare Christus Dominus Sathanae ipsum tentanti respondit (Matth: Cap. IV. v. 4.): *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit da ore Dei.* Et Jesu ipsi (Joan: Cap: VI. v. 69.), dixit Petrus: *Verba vitæ æternæ habes;* nam verbum Dei vitam spiriritualem contulit hominibus eos ab Idolatria ad verum Dei cultum, a morte culpæ ad vitam per pœnitentiam revocando. Quod si omne Dei verbum, verbum vitæ dici debet, atque est, et maxime Verbum Dei concionatum juxta illud Apostoli (I. Cor: Cap. I. v. 21.): *Placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes:*, quid dicendum de illo Dei Verbo, quod Christus ipse constituit pro forma Sacramentorum ad conferendam gratiam digne illa suscipientibus? Licet ergo hoc concionatorie non proferatur, sed tantum consecratorie, verbum vitæ es-

se non desinit; Adeoque optime dicitur Baptismum esse lavacrum aquæ in verbo vitæ, licet in eo administrando omnis concio abscedat.

§. 76. *Objic:* 2. S. Augustinus (Tract: 80. in Joan:) ait: « Unde ista tanta virtus aquae, ut eos » tangat, et cor abluat, nisi faciente verbo? Non » quia dicitur, sed quia creditur. Ergo per verbum intelligit concionem, qua fides habetur, vel excitatur, unde et creditur. Adeoque etc.

§. 77. R. n. utramque consm. S. Augustinus laudato in loco, nihil aliud significare vult, quam verbum in conficiendo, ex gr: baptismate, non habere vim efficiendi quod significat quia profertur, et ex sono suo materiali, sed quia ex Divina institutione, ab Ecclesia creditur esse justificativum. Nam, et de ipso verbo dicebat idem Augustinus: » aliud est sonus transiens, aliud virtus manens: « Neque aliter D. Tomas S. Augustinum explicat (Q: 60. art. 7. ad 1.); ait namque: « Verbum operatur in Sacramentis non » quia dicitur, idest non secundum exteriorem so- » num vocis, sed quia creditur, idest secundum sen- » sum verborum, quae fide tenentur.

§. 78. *Contra.* Atqui Augustinus laudato in loco, de verbo concionatorio loquitur; Ergo n. r. Prob: subsm. S. Augustinus paullo post laudata verba, subdit. « *Hoc est verbum fidei quod prædicamus*; Igitur verbum in Baptismo operans, ex mente D. Augustini, est concionatorium. Adeoque etc.

§. 79. R. neg. utramque consm. Cuicumque vel parum Divi Augustini verba perpendenti, clare constabit, S. Doctorem, per verbum fidei, quod prædicabat, non intelligere verbum, quod formam Baptismi constituit, esse concionatorium, sed verbum Fidei Sacrosancti Baptismatis, seu virtutis manentis in Baptismate; hoc est Baptismi formam cum invocatione trium Personarum SS. Trinitatis, esse subjectum Apostolicae praedicationis; quasi diceret: Hoc est ver-

bum Fidei quod praedicamus, Baptismum hac forma conferri, in nomine scilicet SS. Trinitatis; Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, hoc est namque, quod fide tenemus, per verbum invocationis SS. Trinitatis, ad elementum aquae adjunctum, animam a peccatorum sordibus ablui, atque santificanti gratia donari.

§. 80. *Contra.* Atqui per laudata verba intelligit S. Augustinus, fidem solummodo, concione excitatam, operari in Sacramentis; Ergo stat argm. Idem S. Doctor post illa verba: quod praedicamus, inquit « Unde in Actis Apostolorum, Fide mundans corda » eorum; et Petrus Apostolus: Sic nos Baptisma » salvos facit, non depositio sordium carnis, sed » conscientiae bonae interrogatio: hoc est verbum Fi» dei, quod praedicamus »; Ergo etc.

§. 81. R. dist: aut: et S. Augustinus per fidem, concione excitatam, illam intelligit, quae in adulto est necessaria, veluti dispositio ad Sacramentum, concedo; secus, n. antec: et consm. Quoties laudatus Doctor ait, fide corda hominum mundari, eamque concione excitari, non intelligit per verba formæ Sacramenti Baptismatis, Ex: gr:, concionatorie prolata, fidem haberi, atque excitari; sed fidem, concione excitatam esse dispositionem in adulto, Baptismum suscipiente. Et sane, supponit S. Doctor, concionem, Baptismum adultorum precedentem, qua in fide erudiuntur, atque fides excitatur dispositiva in eis, ut postea rite baptizentur; juxta illud: *Docete omnes gentes*, cum vero ad Baptisma ventum fuerit, nihil de concione addit, sed inquit: « accedit verbum ad elementum et fit Sacramentum »: Accedit verbum: sed quale? concionatorium? nequaquam: præcessit enim. Et quale? utique consecratorium: Scilicet: *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti;* Ergo etc.

Quæres. *Quænam materiæ, vel formæ mutatio irritet Sacramentum?*

§. 82. R. 1. Mutatio sive materiae, sive formae duplex est, *substantialis* nempe, et *accidentalis*. Mutatio substantialis materiæ tunc habetur, cum materia ita mutatur, ut non sit amplius illa, quæ fuit a Christo Domino statuta; ut si in Baptismo adhibeatur vinum, succus herbarum, glacies, vel aqua composita, aut jus carnium; aut tantum alterius liquoris in aqua naturali misceatur, ut illa esse aquae simplicis et naturalis amittat; Mutatio autem substantialis formae tunc habetur, cum aut verba alia a Christo instituta pro forma adhibentur; vel præscripta forma verborum ita corrumpitur, aut mutatur, ut non amplius illum sensum retineat, quem habet illa a Christo præscripta; veluti si quis in conferendo Baptismate, pro forma uteretur his verbis: *Ego te Baptizo in nomine Matris; vel in nomine Dei;* aut *SS. Trinitatis;* vel *In nominibus* Patris etc: Quia ita non exprimit unitatem Naturæ divinae in Personarum Trinitate; neque verba eumdem sensum reddunt, ac illa Iesu Christi. Mutatio accidentalis materiae habetur, cum manente eadem materia et re, et nomine, qua a Iesu Christo instituta est, non adhibetur eo modo, quo ab Ecclesia adhiberi solet, puta si in Baptismo adhiberetur aqua calida, vel non benedicta: In Eucharistia si adhiberetur panis ex farina quidem triticea confectus, sed cui parum farinae fabarum est admixtum; vel adhibeatur vinum quod coeperit parum acescere. Mutatio autem accidentalis formae est illa, qua non tollitur sensus verborum a Christo domino institutus. Sex autem modis forma sive essentialiter, sive accidentaliter mutari posse, docent Theologi, qui his versiculis comprehenduntur:

Nil formae demas, nihil addas, nil variabis.
Transmutare cave, corrumpere verba, morari.

Scilicet 1. detrahendo aliquid formae; veluti si quis baptizando omitteret: *ego*, vel *te;* nam primo mutaret accidentaliter formam, secundo essentialiter. 2. addendo; veluti si quis diceret: *Nobilis, ego te baptizo etc.* vel: *Ego te baptizo in nomine Dei Patris Omnipotentis, Filii Sapientis, et Spiritus Sancti Paracliti.* 3. variando verba, ut si quis loco: *te baptizo, Ego te abluo diceret, aut lavo etc:* 4. transmutando verba; uti si quis diceret: *In nomine Patris Filii, et Spiritus Sancti ego baptizo te.* 5. verba corrumpendo; ut si quis balbus, cui deficeret litera *R* diceret: *Ego te baptizo in nomine Patidis, et filii, et Spiditus Sancti;* vel consacrando diceret: *Hoc est codpus meum.* 6. tandem notabiliter verba interrumpendo.

§. 83. R. 2. Quaelibet mutatio substantialis sive materiae, sive formae irritat Sacramentum. Nam Sacramenta omnem vim habent ex institutione Iesu Christi; Si ergo in illis conficiendis materia, et forma non adhibeatur a Christo praescripta, nihil omnino virtutis habent, immo non perficiuntur.

§. 84. Dices. Zacharias Pontifex (Cap. *Retulerunt* de Consec.) adprobavit Baptismum a quodam Sacerdote, sub hac forma collatum: *Ego te baptizo in nomine Patria, et Filia, et Spiritua Sancta;* Atqui haec forma videtur substantialiter mutata; Ergo etc.

§. 85. R. dist. maj. Zacharias etc. a quodam Sacerdote collatum, scienter, malitiose, animo introducendi novum aliquem errorem, et sine intentione faciendi quod facit Ecclesia, n. maj; secus, c., et negata min, in sensu dist., n. consm. Si laudata forma, ut jacet, inspiciatur, primo intuitu videtur subtasntialem mutationem continere. De facto taliter visa

est S. Bonifacio Archiepiscopo Moguntino, unde per nuntios, Zachariam Pontificem consuluit, essentne denuo baptizandi, qui tali forma fuerant baptizati. Sed Zacharias, animo revolvens, praedictum Sacerdotem, non ex malitia, aut animo introducendi novum errorem, sed sola ignorantia linguæ latinae, talem formam protulisse, et quidem intentione faciendi, quod facit Ecclesia, Baptismum sub tali forma collatum ratum habuit. En ejus verba in dicto Capite: *Retulerunt nuntii tui, quod fuerit in eadem Provincia Sacerdos, qui latinam linguam penitus ignorabat, et dum baptizaret, nesciens latine loqui, infringens linguam diceret, Baptizo te in nomine Patria, et Filia, et Spiritua Sancta. Ac per hoc tua R. F. consideravit eos rebaptizare, sed Sanctissime frater, si ille qui baptizavit, non errorem introducens, aut haeresim, sed pro sola ignorantia Romanae locutionis, infringendo linguam, ut supra fati sumus, baptizans dixisset, non possumus consentire, ut denuo baptizentur.* (1) Cæterum si prædicta formula scienter a Sacerdote, linguae latinae perito, adhiberetur, cum ille tunc, nec verba proferret a Christo Domino statuta, nec ageret cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, valde de illius valore dubitandum erit, nisi velimus eam penitus abjicere.

Quaeres. *Quale peccatum committit, qui scienter materiam, vel formam Sacramentorum substantialiter mutat.*

§. 86. R. Peccatum lethale committit, quia substantiali mutatione sive materiæ, sive formæ, sive utriusque, reddit nullum Sacramentum; sicque irrogat gravem offensam Religioni, et grave damnum

---

(1) Vid: Ferraris V. Baptismus Art. III. Boucat Tomo VI. diss: unica de Sac; in Genere Sect: III. Frassen Tomo X. disp. Proem. Art. 1. Q. 3.

suscipienti, qui ob Sacramenti nullitatem, privatur Divina gratia.

Quæres. *Num in aliquibus Sacramentis uti liceat forma conditionata?*

§. 87. R. adf. Nam ex variis Summorum Pontificum Decretis, et ex consuetudine recepta, constat, in Sacramentis, qui non possunt iterari, Ministros forma conditionata uti posse, dummodo tamen adest vera necessitas; vel quia nempe adhibita diligentia, adhuc dubitatur, an quis receperit Sacramentum, vel an ei valide fuerit administratum. Ita namque habetur expresse ex Alexandro III. (Cap. II. de Bapt.), qui ait: *De quibus est dubium, an baptizati fuerint, baptizentur his verbis præmissis*: *Si nondum baptizatus es.* Num autem in aliis Sacramentis idipsum fieri possit, dubitatur a nonnullis. Verum praxis hodie communis est, ut qui repentino morbo correptus poenitentiae signa dare non possit, sub conditione absolvatur (1).

CAPUT III.

De Sacramentorum effectibus.

§. 88. *Animad.* Sacramentorum effectus duplex est; *gratia*, et *character*; primus est communis omnibus Sacramentis; secundus vero aliquibus tantum. Porro huic duplici Sacramentorum effectui bellum Haeretici indixerunt. Ac primo Massimiliani, teste S. Epiphanio (Hæresi 80.), vim sanctificandi, non Sacramentis, sed solis praecibus tribuebant, Lutherus et Calvinus negant Sacramenta novae Legis gratiam conferre immediate, et ex opere operato, sed ea solum valere dicunt ad excitandam, et alendam fi-

(1) Vid. Stampò Tom. IV. Cap. II. §. I. Prop. IX.

dem, qua homines justificantur. His, aliisque, Theologi Catholici adversantur; nisi quod inter eos aliqua dissentio est circa qualitatem gratiæ, et circa modum, quo gratia in Sacramentis confertur. Quæ omnia ut dilucide exponantur, quasdam notiones præmittimus.

§. 89. *Schol*: Gratia, quae in Sacramentis conferri potest, alia dicitur *prima*, alia *secunda*; et utraque dupliciter conferri potest, scilicet vel *ex opere operato*, ut loquuntur Theologi, vel ex *opere operantis*.

§. 90. *Def*. 1. *Gratia prima est illa, quæ confertur per Sacramentum illi qui peccato mortali est inquinatus, et per quam homo de vase, et filio irae, fit vas misericordiæ, Filius Dei adoptivus, et Patriæ Cœlestis hæres*.

§. 91. *Def*. 2. *Gratia secunda est illa, quæ habenti gratiam sanctificantem additur, unde et gratiæ augumentum solet appellari*.

§. 92. *Def*. 3. *Gratia* ex *opere operantis est illa, quæ causatur non vi, et efficacia Sacramenti, sed vi meriti aut conficientis, aut recipientis Sacramentum*.

§. 93. *Def*. 4. *Gratia ex opere operato, est illa quæ causatur, non merito sive illius qui conficit, sive illius qui recipit Sacramentum, sed præcise vi operis ex divino instituto exerciti, hoc est vi ipsius Sacramenti a Domino instituti*.

§. 94. *Schol*: Caussa efficiens duplex est, *Physica* nempe, et *moralis*; et utraque insuper, alia est *principalis*, *instrumentalis*, alia.

§. 95. *Def*: 5. *Caussa Physica est illa, quae actionem producit, per quam existit effectus*; sic ignis, dicitur causa caloris.

§. 96. *Def*. 6. *Caussa* moralis *est illa, quæ movet causam physicam ad producendam actionem, per quam existit effectus*; sic Petrus mandans Paulo ut furetur, dicitur caussa moralis furti.

§. 97. *Def*. Caussa *principalis est illa, quae*

agit virtute sibi propria. Ita homo feram gladio interficiens, dicitur causa principalis occisionis feræ.

§. 98. *Def.* 7. *Causa instrumentalis est illa, quæ agit, vi sibi a causa principali concessa:* Sic gladius quo homo feram interfecit, dicitur caussa instrumentalis occisionis feræ.

§. 99. *Def.* 8. *Character,* hic nihil aliud *est, quam signum spirituale indelebile animæ impressum, per quod homo ab aliis distinguitur, qui eo carent.* In quo autem talis signi natura consistat, neque Ecclesia definivit, neque nos tuto possumus definire (1). His positis sit.

PROPOSITIO I.

Sacramenta novae Legis gratiam conferunt non ponentibus obicem.

§. 100. **Prob. ex Conciliis. In Concilio Florentino** ita decretum habetur. *Sacramenta Veteris Legis non causabant gratiam, sed eam solum per Passionem Christi dandam figurabant: hæc vero nostra et continent gratiam, et ipsam digne suscipientibus conferunt* (2) In Concilio autem Tridentino ita statutum legitur (Sess. VII. Can. 6.): *Si quis dixerit, Sacramenta novae legis non continere gratiam quam significant, aut gratiam ipsam, non ponentibus obicem, non conferre anathema sit.* (Can: 7.); *Si quis dixerit, non dari gratiam, per hujusmodi Sacramenta semper, et omnibus, quantum est ex*

---

(1) Vid. Tournely de Sacram. in gen. q. IV. art. 2. Frassen Tomo X. Disp: Proem: Art: II. q. 3. Concl. 2. aliosque.

(2) Vid. quae §. 33. et seq: exposuimus

parte Dei, etiam si ea rite suscipiunt, sed aliquando et aliquibus; anathema sit. Ergo etc. (1).

§. 101. *Schol*: « Porro gratiae obex consistit vel » in carentia dispositionis necessariae ad illam reci- » piendam, vel in contraria dispositione, cum sci- » licet aliquis non solum caret dispositionibus requi- » sitis, sed etiam actu peccat mortaliter in Sacra- » menti receptione ».

§. 102. Dices. Apostolus ad Hebræos scribens (Cap: XI. v. 33.), ait quod Sancti *per fidem vicerunt Regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones.* Ergo fides, et non Sacramenta, gratiam confert; adeoque falsa propositio.

§. 103. R. admitt: auct: dist: sensum: Sancti per fidem tamquam conditionem, sine qua non, etc; conc: tamquam per caussam efficientem, nego; Ergo etc: n. utramque consam. Cum sine fide impossibile sit placere Deo, impossibile pariter est sine fide gratiam divinam obtinere, qua vincantur Regna, operetur justitia, repromissiones adipiscantur; At hoc nihil aliud probat, quam fidem esse dispositionem necessariam ad gratiam, non vero caussam gratiae effectricem.

PROPOSITIO II.

Sacramenta novæ Legis gratiam conferunt ex opere operato.

§. 104. Prob. 1. ex Concilio Tridentino (Ibid. Can. 8.): *Si quis dixerit per ipsa novæ Legis Sacramenta, ex opere operato non conferri gratiam, sed solum fidem divinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere, anathema sit.*

---

(1) Vid. Henno De Sacram. Disp. VI. aliosq.

§. 105. Prob. II. hac ratione. Si Sacramenta gratiam non conferrent ex opere operato, infantes baptizari non possent, et si baptizerentur, gratiam non reciperent; quia meritum non habent, nec potest in eis fides excitari divinarum promissionum; Atqui ex praxi Ecclesiae ipsi baptizantur; Ergo etc. Optime S. Augustinus. (Lib. IV. contra Cresconium.): « Non eorum meritis a quibus ministratur » constat Baptismus, sed propria sanctitate, atque » veritate propter eum, a quo institutus est » (1.).

Adversariorum objecta solvuntur.

§. 106. *Objic*: 1. Novæ Legis Sacramenta gratiam ex opere operato non conferunt, si per fidem quisque justus efficitur; Atqui ita se res habet, dicente Apostolo (Rom: I. v. 18.): *Justus ex fide vivit.* Ergo falsa Propositio.

§. 107. R. dist: maj. per fidem solam, excluso opere, conc: incluso opere, dist: min: Justus ex fide sola sine operibus, vivit, n. min: ex fide quæ per opera viva est, conc. min; Ergo etc: n. consn. Cum ex citato Apostolo, sine Fide impossibile sit placere Deo, atque ad veritatis cognitionem venire; cumque idcircò Fides ex Tridentino (Sess: VI. c. 8.) sit initium, radix, atque fundamentum nostræ justificationis, proculdubio sine ipsa nullus justificari potest. At ut homo vere justus dicatur, et sit, sufficit ne illi fides sola, omni opere fidei secluso? Haud certe. *Fides* namque *sine operibus mortua est in semetipsa* (Jac: Cap: 17. v. 30.); si ergo mortua, ex ea justus vivere non posset, nisi dicere velimus, aliquem ex morte vitam habere; Ergo ex fide cum opere conjuncta justus vivit; Et consequenter, non per

(1) Antoinè Theol. Dogm. de Sacram. in genere Cap. III. art. I. Tournely de Sacr. in gen. Q. III. art. I.

solamfidem quisque justus efficitur; Adeoque Novae Legis etc.

§. 108. *Contra.* Atqui ex Apostolo per solam fidem homo justus efficitur; Ergo n. r. Prob: subsm. Idem Apostolus (Cap: III. ejud: Epist; v. 8.) ait: *Arbitramur justificari hominem per fidem*, et alibi (Cap: IV. v. 3.); *Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam.* At si Apostolus vim justificandi alteri a fide inesse putaret, non diceret absolute, se arbitrari hominem justificari per fidem, et Abraham per fidem Deo placuisse; Ergo etc.

§. 109. R. admitt: auct: dist: sensum: Arbitramur etc., per exclusionem operum Mosaicæ Legis, conc: per exclusionem Sacramentorum, et operum pro conficiendis Sacramentis, a Sacramentorum auctore præscriptorum; nec non et aliarum virtutum, nego maj: et in eodem sensu dist: min, n. consm. Laudata verba ad Judæos dicta sunt, qui cum ex operibus Legis se justos esse nimium confiderent, ab Apostolo reprimuntur, proposito Abrahae exemplo, qui non ex nuda Circumcisione, sed ex fide justificatus est. Excludit ergo opera dumtaxat legis Mosaicæ, non Sacramenta, non alia virtutum merita. Antea siquidem præmiserat; *Ex operibus Legis non justificatur omnis caro*; tum subdit: *Arbitramur justificari hominem per fidem sine operibus Legis.* At cum de nova Lege loquitur, non ita se explicat, sed expresse scribit (Ad Tit; III. v. 5.); *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, et renovationis Spiritus Sancti.* Adeoque.

§. 110. *Contra.* Atqui absolute per fidem homo justificatur. Ergo n. r. Prob. subsm. Si res ita non se haberet, Christus fidem in baptizando non requisivisset; Atqui requisivit, dixit enim (Marci ult: v. 16.); *Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit*; Ergo etc.

§. 111. R. dist: maj; tamquam dispositionem

in adulto ad gratiam justificationis in baptismo recipiendam, conc, secus, n. maj; et contrad. min; n. consm. Cum per Sacramentum Baptismi, filius Dei homo evadat, et Cælestis gloriæ hæres, divinum utique beneplacitum, atque amicitiam contrahit. At quia sine fide impossibile est, ut quis placeat Deo, propterea in adulto baptizando, necessario fides requiritur, tamquam dispositio. Verum fides hæc, ut quisque videt, praecedit Baptismum, non vero est fides, quæ per Baptismum excitatur. Adeoque etc.

§. 112. *Objic.* 2. In Sacramentorum susceptione requiritur fides; Ergo per fidem, et non ex opere operato Sacramenta conferunt gratiam.

§. 113. R. dist: antec. requiritur fides tamquam dispositio, conc, tamquam caussa productiva gratiae in Sacramento, nego antec; Ergo etc, n. consm. Fides in adulto Sacramentum suscipiente non requiritur ut caussa gratiae sacramentalis, sed tantum veluti dispositio ad Sacramentum suscipiendum. Nam si esset caussa gratiae, Baptismus non posset infantibus administrari, quia cum infantes non sint fidei capaces, gratiae quoque capaces non essent; frustra proinde Baptismum susciperent, quod est falsum.

§. 114. *Contra.* Atqui non ex opere operato, sed per fidem, Sacramenta gratiam conferunt; Ergo n. r. Prob subsm. S. Augustinus (Serm; 30. de Verbis Domini) ita scribit; « Baptisma quod semel adhi» betur, per fidem mundat »; Ergo etc.

§. 115. R. dist; sensum auctoritatis; Baptisma mundat per fidem, ut dispositionem praeviam, conc; ut mundationis caussam efficientem, quam excitat Baptismus, et ex qua manandi vim habet, nego «; Nam inquit hic Claudius Frassen (T. X. disp. Proem. Art. 2. 9. 2. Concl. 1. Obj. 8. Resp. ad 1.) S. Augustinus » explicat illud Lucae II. *Nunc vos Pharisæi, quod de foris est calicis, et catini, mundatis. Quod autem intus est vestrum, plenum est ra-*

pina, et iniquitate; Unde Christus arguit Pharisaeos
» qui quotidie ante prandium se lavabant aqua; ac si
» ea lotio posset esse cordis mundatio, suosque di-
» scipulos monet, ne justitiam esse putent in mun-
» datione corporis; quia Baptismus mundat adul-
» tos per fidem, ut per dispositionem necessariam;
» fides autem intus est, non foris; juxta illud (Act.
XV. v. 9.); *Fide mundans corda eorum;* Pharisaei
» autem, quod erat foris lavabant; intus vero plu-
» rimis vitiis erant inquinati ».

§. 116. *Contra.* Atqui de mente S. Augustini est, quod Sacramenta non ex opere operato, sed ex fide gratiam producant; Ergo stat argum. Laudatus Doctor de Sacramentis loquens (Lib; 19. contra Faustum c. 16.), nullam vim eis tribuit gratiam conferendi; ait siquidem «. Quid enim sunt aliud quae-
» que corporalia Sacramenta, nisi quaedam quasi
» verba visibilia, sacrosancta quidem, verumtamen
» mutabilia, et temporalia? » Ergo secundum Augustinum, Sacramenta ex se nullam vim habet; Adeoque etc.

§. 117. R. admitt: auct:, n. utramque consam. Augustini mens ex ipsius scripto manifeste dignoscitur. Confutat enim ibi Manichaeos, qui Legem veterem damnabant, quoniam Christus eam solvit, cum illius Sacramenta mutavit. At S. Doctor ostendit, Christum non solvisse Legem veterem, sed adimplevisse, etiamsi illius Sacramenta mutaverit, quandoquidem Sacramenta, utpote signa, pro varietate temporis varianda sunt, licet res eadem sit, quam significant. Cum autem vetera Sacramenta significabant Christum nasciturum aut moriturum, jam nato Christo, et mortuo, Sacramenta, seu signa mutanda sunt. Id explicat exemplo verborum, quae pro temporum varietate variantur; licet rem eamdem significant; quae tamen aliter exprimitur facienda, aliter exprimitur facta; ait siquidem ibi « Soni verborum quibus loquimur

» pro tempore commutantur, eademque, res aliter » enunciatur facienda; aliter facta . . . quid mirum » si aliis mysteriorum signaculis passio et resurrectio » Christi futura promissa est, aliis jam facta enun» ciatur? . . . Porro quid aliud sunt quæcumque » corporalia Sacramenta, nisi quaedam quasi verba » sensibilia, sacrosancta, quidem, verumtamen mu» tabilia, et temporalia? » falsum est ergo quod Novatores adfirmant; frustraque S. Augustinum in propriam sententiam trahere conantur.

PROPOSITIO III.

Præter gratiam sanctificantem communem, Sacramenta peculiarem gratiam, quae Sacramentalis dicitur conferunt.

§. 118. Prob. Quodlibet Sacramentum ad peculiarem finem assequendum ordinatur; nam *per Baptismum*, ait Eugenius IV. (In Decreto.), *spiritualiter renascimur; per confirmationem augemur in gratia, et roboramur in fide: renati autem, et roborati nutrimur Divinae Eucharistiae alimonia. Quod si per peccatum incurrimus ægritudinem animæ, per Pœnitentiam spiritualiter sanamur; spiritualiter etiam et corporaliter, prout animae expedit per Extremam Unctionem; per Ordinem vero Ecclesia gubernatur et multiplicatur spiritualiter; per Matrimonium augetur corporaliter;* Atqui ad assequendos hos varios atque distinctos fines, gratia Sacramentalis propria, et specialis est medium praecipuum; Ergo etc.

PROPOSITIO IV.

Sacramenta inaequaliter dispositis, inæquaelem conferunt gratiam.

§. 119. Prob. ex Tridentina Synodo, in qua (Sess. VI. Cap. VI.) legitur, *gratiam in baptizatis recipi secundum mensuram quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult, secundum propriam cujusque dispositionem, et cooperationem*; Ergo etc.

PROPOSITIO V.

Duo tantum Sacramenta, scilicet Baptismus, et Penitentia primam gratiam conferunt, alia vero secundam.

§. 120. Prob. Baptismus, et Pœnitentia cum administrantur, animam supponunt peccato mortali inquinatam, et hinc gratia sanctificante orbatam; unde et Sacramenta mortuorum appellantur, et necessaria sunt ad salutem, necessitate tum medii, cum praecepti aut in re, aut saltem in voto; Atqui prima gratia est illa quae primo confertur illi qui mortali peccato est inquinatus (§. 90.); Ergo Baptismus etc. Quoad vero reliqua Sacramenta; ea de se non primam, sed secundam gratiam conferre, notum est, quia ad hoc instituta sunt, ut gratiam in suscipiente supponant, eamque augeant; unde et Sacramenta vivorum dicuntur, et ad ea suscipienda, inter alias dispositiones, status gratiae requiritur. Negari tamen non potest, haec Sacramenta conferre quandoque, per accidens primam gratiam, sicut et illa secundam, uti docent Theologi, et nos suo loco videbimus.

PROPOSITIO VI.

Sacramenta novae Legis sunt caussae non physicæ, sed morales gratiae sanctificantis.

§. 121. Prob. I. ex Patribus. S. Cyprianus, ita scribit (Lib. de Bapt. Christ.). « Remissio peccatorum, sive per baptismum, sive per alia Sacramenta donatur, propria Spiritus Sancti est, et ipsi soli hujus efficientiae privilegium manet: verborum solemnitas, et sacri invocatio nominis, et signa institutionis Apostolicis Sacerdotum ministeriis attributa, visibile celebrant Sacramentum, rem vero Sacramenti Spiritus Sanctus format, et efficit ». Nec dissimiliter loquitur S. Basilius (Lib. de Bapt. Christ.), quibus accedunt S. Ambrosius, et S. Augustinus, quorum primus sic ait (Lib. VII. d. Sacram. Cap. V.): « Aliud est elementum, aliud consecratio; aliud opus, aliud operatio: aqua opus est, operatio Spiritus Sancti est ». Secundus autem ita scribit (Epist. 22.): « Aqua exhibens forinsecus Sacramentum gratiae, et Spiritus operans intrinsecus beneficium gratiae; solvens vinculum culpæ; reconcilians bonum naturae, regenerans hominem in uno Christo ». Ex quibus sic: Sancti Ecclesiæ Patres, vim, atque efficaciam conferendi gratiam sanctificantem tribuunt Sacramentis novae Legis; Sed ex adductis testimoniis, ipsi videntur hanc efficaciam denegare; ergo concedunt quod Sacramenta sint caussæ morales gratiae sanctificantis, et denegant quod sint caussae physicae, alias sibimetipsis contradicerent.

§. 122. Prob. II. Ratione theologica. Sacramenta omnem vim atque efficaciam habent ex meritis humanitatis, et passionis Domini nostri Jesu Christi; Ergo non possunt vim et efficaciam talium meritorum excedere; Atqui merita hujusmodi non habent efficientiam physicam, sed moralem, uti colligitur ex

Concilio Tridentino (Sess. VI. Cap. V.), quippe quae neque in se, neque in aliquo suo effectu physice existant, sed solummodo in acceptatione Divina; Ergo et Sacramenta tantum moralem habent efficientiam; Adeoque etc. (1).

Objicies variis mediis.

§. 123. Ac. 1. In Sacris Literis habetur, nos renasci *ex aqua* (Ioan. III. v. 5.); et per *lavacrum regenerationis* sanctificari (Ad Tit. C. III. v. 1.); Atqui particulae *ex*, et *per* denotant caussalitatem physicam; Ergo, falsa propositio.

II. In Concilio Tridentino statuitur, Sacramenta gratiam *conferre ex opere operato;* et alibi asseritur, Christi corpus poni sub speciebus panis, et vini *vi verborum*; Ergo etc.

III. Ecclesia in Caena Domini, oleum consecrando, petit ut ei admisceatur virtus Spiritus Sancti, Et Sabbatho Sancto petit, ut eadem virtus descendat in aquam baptismalem; Sed hoc non faceret si Sacramenta gratiam physice non conferrent; Ergo etc.

IV. tandem. Si per Sacramenta, gratia physice non conferretur, Minister qui Sacramentum administrat, mentiretur dicendo: *Ego te baptizo*, *ego te absolvo*, quia non ipse, sed ipso loquente, et agente, Deus est qui baptizat, et absolvit; Ergo etc:

§. 124. R. ad singula. Et ad I. Particulæ illæ *ex*, et *per* indifferentes sunt ad caussalitatem tum phy-

(1) Videant. pro hac Prop. Frassen de Sacram. Disp. Proemiali art. II. q. 2. Concl. 2. Henno de Sacram. Disp. VII. q. 2. Tournely de Sacram. q. III. art. 2. Cap. III. art. III. Antoinè Theol. dogm. de Sacram. in genere Cap. III. art. III. Ex-Charmes, Boyvin, aliique.

sicam, cum moralem. Et sane sicuti se habent verba illa Scripturae in argumento laudata, ita se habent haec alia (I. Ioann. Cap: I. v. 7.): *Sanguis Jesu Christi Filii ejus emundat nos ab omni peccato.* Et (Rom: Cap: V. v. 9.): *Nunc justificati in sanguine ipsius . . . reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus;* et tamen Christi Passio, ejusque sanguis effusus, non physice, sed moraliter tantum sanctificant; quatenus Deus intuitu Passionis, et mortis Christi, physice in nobis gratiam sanctificantem producit; Nam Passio, et mors Christi non amplius existit. Igitur sicuti passio Christi nos vere, et proprie emundat, et sanctificat, quia est caussa emundationis, et Sanctificationis nostrae, ita Sacramenta nos vere, et proprie mundant, et sanctificant, quamvis non caussae physicae, sed morales tantum sint nostrae sanctificationis.

Ad II. Ex quo Tridentina Synodus, Sacramenta ex opere operato gratiam conferre statuat; non ideo adstruere voluit, Sacramenta gratiam physice conferre, sed hoc solum contra Haereticos ostendere, quod Sacramenta, indipendenter a meritis conferentium, vim habent producendi effectum suum, nempe gratiam, sive interim illam ex se producant physice, sive moraliter.

Ad III. Ecclesia in Olei, et aquae Baptismatis benedictione, non petit ut virtutem habeant conferendi gratiam, cum sciat, illam habere ex institutione Divina, ubi subjecto debito, debite applicentur; sed utitur illis verbis ad majorem solemnitatem, ut magnificet virtutem, quam ipsis Deus contulit, sive virtus haec sit physica, sive moralis.

Ad IV. Tandem. Ut laudatae formae: *Ego te baptizo*: *Ego te absolvo* verificentur, necessaria non est caussalitas physica, sed sufficit moralis. Et sane, si Christus diceret: *Ego vos justifico per meam passionem, vos abluo per meum sanguinem*, diceret ne

verum? Utique; et tamen passio et sanguis, moraliter solummodo id operantur; (§. 122.) pari ergo ratione, verum dicit Sacerdos, cum dicit: *Ego te baptizo*: *ego te absolvo*, licet moraliter tantum, et non physice gratiam Sacramenta conferant (1).

PROPOSITIO VII.

Datur Character Sacramentalis, eumque imprimunt Baptismus, Confirmatio, et Ordo.

§. 125. Prob. I. ex Conciliis. Florentina, Synodus sic statuit (In Decreto Eugenii.): *Inter hæc Sacramenta, tria sunt, Baptismus, Confirmatio, et Ordo, quæ characterem, idest spirituale quoddam signum a caeteris distinctivum imprimunt in anima indelebile. Unde in eadem persona non reiterantur. Reliqua vero quatuor characterem non imprimunt* etc. Idipsum Tridentina Synodus confirmavit, dicens (Sess. VII. C. 9.): *Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione, et Ordine non imprimi characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale, et indelebile, unde ea iterari non possint, anathema sit* (2).

§. 126. Prob: 2. His rationibus Seraphici Doctoris (Brevil: VI. P. Cap: 6.). « Quoniam triplex est status fidei, secundum habet fieri distinctio in populo Christiano in acie Ecclesiasticae hie-

(1) Vid: Tournely Tomo VI. Q. III. Art. 2. Antoinè Theol: Univ: Tomo II. De Sac: in Gen: Cap: III. Art. 3. Frassen Tomo X. Disp: Proem: Art: II. Q. 2. Concl. 2. Henno De Sacram. Disp. VII. Q. II.

(2) Hujus doctrinae varias exponunt congruentias Theologi. Vid. Doctor subtilis in IV. Disp. VI. q. 10. n. 12. S. Thomas.

» rarchiæ, scilicet status fidei genitae, roboratæ, et
» multiplicatae. Secundum primum fit distinctio fidelium ab incredulis, per secundum fit distinctio fortium ab infirmis, et debilibus, secundum tertium
» fit distinctio Clericorum a laicis, hinc est, quod
» illa Sacramenta, quae respiciunt triplicem fidei
» statum prædictum, characteres imprimunt, per quos
» indelebiliter impressos, semper distingunt, ac per
» hoc numquam iterari possunt. Quoniam ergo Baptismus respicit statum fidei genitae, in quo populus Dei distinguitur ab incredulis, ut Israelitæ ab
» Ægyptiis; et Confirmatio respicit statum fidei roboratae, in quo distinguitur populus fortis ab infirmis, sicut pugiles ab his qui ad pugnam non
» sunt idonei; et Ordo respicit statum fidei multiplicatæ, in quo distinguitur Clerus a laicis, sicuti
» Levitae ab aliis Tribubus, hinc est, quod in his
» tantum tribus Sacramentis characteres imprimuntur. Quia vero distinctio populi a non populo prima
» est, et radicalis, hinc est, quod character Baptismatis est fundamentum omnium aliorum characterum, et ideo illo non substrato, nihil poterit
» superædificari, ac per hoc oportet de novo fieri;
» si autem ille substernatur, alii imprimi possunt,
» nec umquam ulterius iterandi sunt, nec Sacramenta
» tria praedicta, quae hos imprimunt, ex caussa
» aliqua iterantur, et gravis de facto iterantibus debet poena imponi, propter divini contumeliam Sacramenti, licet alia quatuor ex caussis diversis possint sine sui contumelia iterari ».

Adversariorum argumenta solvuntur.

§. 127. *Objic*: 1. Si praedicta Sacramenta characteres imprimerent, id ex Scripturis colligeretur; Atqui ex Scripturis id non colligitur; Ergo etc.

§. 128. R. dist: maj: Si praedicta etc:, si ta-

men sola Scriptura foret Fidei nostrae regula, conc: si praeter Scripturam sit etiam traditio, nego maj:, et dist: min: Atqui etc: colligitur autem traditione, conc:; nec etiam traditione, n. min:, et consam. Esto ex Verbo Dei scripto expresse non habeatur, tria laudata Sacramenta characterem imprimere, expresse tamen habetur ex Traditione Divina, quae altera est infallibilis fidei nostrae regula. Et sane Patres fere omnes tam Græci, quam Latini loquentes de verbis illis Apostoli ad Ephesios (Cap: I. v. 13.): *In quo et credentes signati estis Spiritu promissionis Sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ*, illa accipiunt de signo, sive charactere Baptismi; (1):

§. 129. *Contra.* Atqui nec etiam traditione expresse habetur, quod in laudatis Sacramentis character imprimatur; Ergo n. r. Prob: subsm. Veteres Ecclesiae Patres, et Augustinus praesertim, characterem sacramentalem ab exteriori sensibili signo non distinguunt. Ergo nulla est characteris existentia. Prob: ans. S. Augustinus (ut alios omittamus simili modo loquutos) in lib: de gestis cum Emerito Donatista, docet, characterem exterius cognosci, et agnitum approbari; id autem exteriori sensibili signo dumtaxat convenit; Ergo Augustinus characterem sacramentalem ab exteriori etc.

§. 130. R. dist: maj: S. Augustinus docet, characterem exterius cognosci in sua causa, concedo; in scipso, nego maj:, et eodem sensu admissa min:, nego consam. Miror quomodo ab adversariis victoria decantetur, si tam clara sunt Augustini verba, ut in aliud sensum non valeant ab adversariis extorqueri. Etenim (Lib: 2. contra eplas Parmenia: cap: 13.) Non minus, inquit, haerent Sacramenta Christiana,

---

(1) Vid: Tournely de Sacram: in Genere Q. IV. Art: II. Prima Concl:

quam nota corporalis, cum videamus nec apostatas carere illis, quae propterea illis resipiscentibus non *restituuntur, quia amitti non potuerunt*. Quod certe de exteriori signo dici non potest. Cum ego Augustinus, et alii fortasse Patres asseruere, characterem exterius videri, atque cognosci, non de charactere in se considerato, sed de characteris causa locuti sunt, quatenus nimirum, cum aliquem rite baptizatum cognoscimus, simul deprehendimus, illi infixum characterem qui tanquam effectus semper, ac necessario caussam illam consequitur.

§. 131. *Contra.* Atqui S. Augustinus alium non agnovit in Baptismo characterem, nisi ritum externum; ergo etc: Prob: subs: eodem in loco S. Doctor ait, quod si Donatus in suo nomine baptizasset, suum characterem impressisset; atqui Donatus in suo nomine baptizans, nonnisi externum ritum coferret, nihilque aliud imprimeret; Ergo S. Augustinus alium etc.

§. 132. R. dist: maj: S. Augustinus eodem in loco etc.; idque ex hypothesi affirmat, conc:, absolute, nego maj: admitto min:, et nego consam. S. Doctor non absolute loquitur, sed ex facta hypothesi, nempe ut ostendat, Sacramentum vim suam et efficaciam a Christo unice habere, seclusa ministri probitate, aut malitia, ait, quod si Donatus in suo proprio nomine baptismum conferret, suum characterem eo in casu imprimeret. Hanc vero hypothesim nec admittit, nec probat, cum optime agnoscat, baptismum in nomine Donati collatum, nec etiam sacramentum esse; ex illa tamen intentum suum deducit, nempe, Sacramentum Christi a privata ministri intentione non pendere, sed unice ab ipsius Christi virtute.

§. 133. *Contra.* Atqui Augustinus absolute loquitur, illisque verbis vult, characterem in solo exteriori ritu positum; Ergo etc. Prob. subsm: Augustinus eodem in loco hæc habet: « attende fidem in nomine » Patris, et Filii, et Spiritus Sancti: iste est character

» Imperatoris mei: de isto charactere militibus suis, » seu potius comitibus suis, ut hunc imprimerent eis » quos concruebant castris ejus, praecepit dicens: *Ite* » *baptizate gentes in nomine Patris, et Filii, et Spiri-* » *tus Sancti.* » Nunc sic: Qui docet, invocationem Trinitatis esse characterem, quem milites Christi baptismum suscipiendo recipiunt, atque aliis imprimunt, quos baptizant, is procul dubio præter exteriorem ritum, aliud in baptismo characterem non agnoscit; ita Augustinus; ergo etc.

§. 134. R. dist: maj:, qui docet invocationem Trinitatis esse characterem impressum, is proculdubio etc., conc: maj:, characterem imprimentem, seu causam characteris nego maj:, et in eodem sensu nego min. et consam. S. Doctor loquitur de causa imprimente characterem, non de charactere ipso, alioquin sibi contrarius esset, cum characterem perpetuum, atque indelebilem judicaverit, ut observavimus, quod de Trinitatis invocatione dici non potest. Invocatio itaque Trinitatis, et ipsum externum symbolum, dici potest character, non quidem impressus, sed imprimens. Ut (apposite Bellarminus) eadem imago est et in sigillo, et in cera, sed imago sigilli est character imprimens, in cera character impressus; ita Sacramentum externum, ac praecipue ipsius forma, est character imprimens, cum ad ejus collationem mox sequatur character indelebilis in anima.

§. 135. Objic: 2. Characteris tanquam effectus a gratia distincti nulla est necessitas. Ergo etc. Prob: ans. Munus characteris esset distinguere signatum a non signato: at hujusmodi distinctio neque Deo, qui omnia novit per se se, neque Beatis qui omnia vident in Deo, neque hominibus qui exteriora vident, inservit; Ergo characteris nullum est munus.

§. 136. R. concessa maj:, et min:, nego consam. Quemadmodum Deus, etsi alia via, quam per sacramenta suam nobis gratiam communicare posset, ad id tamen

muneris Sacramenta instituere voluit ; ita quamvis ipsæ per se se ; et Beati in verbo omnia noscant, atque adeo, eum etiam qui tali signo notatur, voluit tamen ut id a charactere praestaretur. In hisce siquidem, et consibilibus rebus, tota ratio facti, ut ajebat D. Augustinus, est voluntas facientis. Ceterum etsi nos characterem huiusmodi non intueamur, videmus tamen quemadmodum in sua caussa et cum certi sumus, ipsum per Sacramentum, rite susceptum, animæ inesse, veram rationem reddimus, quare Sacramentum illud repeti denuo non possit, cujus profecto veram caussam Novatores assignare non possunt.

§. 137. *Contra.* Atqui charactere secluso, adhuc vera redditur ratio quare Sacramenta aliqua repeti non possint ; ergo etc. Prob subsm: Secluso charactere, optime salvatur, baptismum rite susceptum repeti non posse, tum quia ad Ecclesiæ ingressum janua est, qua semel aperta, necesse non est ut denuo aperiatur ; tum etiam quia ad originale peccatum delendum, quod unicum est, ordinatur ; Ergo etc.

§. 138. nego ans. Adductae siquidem rationes, quas Calvinus, et Kemnitius tanti faciunt, ineptæ sunt ad probandam impossibilem baptismi iterationem. Et ad primam quod attinet, verum quidem est, baptismum januam esse ad Ecclesiam ; at janua isthaec baptizatis aperta, clauditur, cum desertores, et apostatae fiunt : ipsis propterea redeuntibus, aperienda iterum est, non quidem per baptismum, sed per poenitentiam. Ex quo ergo baptismus sit janua ad Ecclesiam, non sequitur quod repeti non possit, imo si recte consideretur, sequitur oppositum ; nam janua ista claudi, et aperiri pluries potest, sicque requireretur renovari baptismum pluries posse, quod temen falsum est. Alia ratio non minus levis est ; nam qui fictus ad baptismum accedit, fictione durante, a labe originali non mundatur, nec tamen rebaptizatur cum resipiscit. Quod sane argumento est, ut in probationibus

dicebamus, baptismum in illo, per impressum characterem jugiter durare.

CAPUT IV.

De Sacramentorum Ministro.

§. 139. *Animad.* Cum Sacrosancta Florentina Synodus ad Sacramenta perficienda, praeter materiam et formam, requirat etiam Ministrum; compertum profecto est, Ministrum quoque influere ut caussam instrumentalem in confectione Sacramenti.

§. 140. *Def.* 1. *Nomine* ministri *ille solum hic venit, qui ex Dei voluntate Sacramenta instituentis, vim habet Sacramenta conficiendi.*

§. 141. *Schol.* Duplex autem distinguitur Minister Sacramentorum; *principalis* scilicet, et *secundarius.*

§. 142. *Def.* 2. Minister *principalis, seu primarius, est qui Sacramenta instituit, ut ejus nomine fierent, et per cujus solius merita operantur;* talis est Christus, ut homo.

§. 143. *Def.* 3. Minister secundarius *est ille, qui sub Christo, et ejus nomine potest valide conficere Sacramenta.* Et hic quidem Minister secundarius duplex pariter est; *ordinarius* nempe, atque *extraordinarius.*

§. 144. *Def.* 4. *Minister ordinarius est ille, qui secundum legem a Christo praescriptam potest valide Sacramenta conficere.*

§. 145. *Def.* 5. *Minister extraordinarius ille dicitur, qui praeter legem Christi ordinariam, ad Sacramenta conficienda assumitur.* At quinam sunt Sacramentorum Ministri sive ordinarii, sive extraordinarii? Non conveniunt inter se

§. 146. Lutherus, omnes baptizatos putat habere potestatem conficiendi, ac ministrandi Sacramenta; Nam *Sacerdos* (Libro de instituendis Ecclesiae Ministris.) ait, *in novo praesertim Testamento, non fit, sed nascitur: non ordinatur, sed creatur · nascitur autem in Baptismo, suntque prorsus omnes Christiani Sacerdotes:* Imo Angelos quoque, tam bonos, quam malos, potestatem conficiendi Sacramenta habere, contendit (In libro de Missa privata.). Calvinus vero (In Antidoto ad Can. Sess. 7. Trid.), eos solos potestatem Sacramenta conficiendi habere asseruit, *qui singulari Christi mandato ad eam rem ordinantur Ministri.* Wiclefus tandem, Ministrum ut valide conficiat Sacramentum, in gratia esse debere asserit. His adversantur Catholici. Nos brevitati consulentes, quae catholice tenenda sunt, subjectis propositionibus constabilire conabimur.

PROPOSITIO I.

Solus Homo viator est ordinarius Sacramentorum Minister; non tamen omnis respectu omnium.

§. 147. Prob. I. p. Ille solus potestatem habet Sacramenta conficiendi; qui talem potestatem a Christo accepit; Atqui, uti patet ex Scripturis, solus homo viator talem a Christo obtinuit potestatem, et non alius; Ergo etc. Prob. min. Christus Sacramenta instituens, solis hominibus viatoribus dixit (Matth. Cap. XXVIII. v. 19.): *Docete omnes gentes baptizantes eos etc. Hoc facite in meam commemorationem* (Lucae Cap. XXII. v. 19.): *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis* (Joan. Cap. XX. v. 23.); Ergo etc.

§. 148. Prob. II. P. ex Concilio Tridentino.

(Sess. VII. Can. 10.): *Si quis dixerit, Christianos omnes in verbo, et omnibus Sacramentis administrandis potestatem habere, anathema sit.* Ergo etc.

Dices contra 1. P. Angelus potest esse Minister Sacramentorum; Ergo etc: Prob: antec. S. Amphilochius fuit ordinatus Episcopus ab Angelis, ut refert Nicephorus (Lib. II. Hist: c. 2.), et ejus ordinario a caeteris Episcopis rata habita fuit; Ergo etc:

§. 149. R. Admissa S. Amphilochii per manus Angelorum ordinatio, id solum probat, Angelos, Sacramentorum ministros extraordinarios esse posse, non vero ordinarios. Nec mirum. Nam « sicut Deus, scribit » S. Thomas (3. p: q. 64. art. 7.) virtutem suam non » obligavit Sacramentis, quin possit sine Sacramentis » effectum Sacramentorum conferre: ita etiam virtu» tem suam non alligavit Ecclesiae Ministris, quin » etiam Angelis possit virtutem attribuere ministrandi » in Sacramentis. Et quia boni Angeli sunt nuntii » veritatis, si aliquod Sacramentale ministerium a bo» nis Angelis perficeretur, esset ratum habendum, » quia haberet constare hoc fieri voluntate Divina ».

Dices contra 2. p. In pluribus Sacræ Scripturæ locis, omnes Christiani vocantur Sacerdotes; ergo omnes sunt omnium Sacramentorum ministri.

§. 150. R. Ubi in Sacris litteris Christiani omnes vocantur Sacerdotes, ibi non loquitur Scriptura de Sacerdotio vero, et reali, sed de mystico et spirituali; quatenus nempe fideles omnes, hostias spirituales, opera scilicet bona, preces, et laudes offerunt Deo (Epist. I. Petri Cap. 1. v. 5.). (1).

---

(1) Consul. quae Tomo I. hujus Operis Cap. V. fusius exposita sunt.

PROPOSITIO II.

Ad valorem Sacramenti non requiritur in Ministro Sanctitas, et fides.

§. 151. Prob. I. P. ex Concilio Tridentino (Sess. VII. Can. 12.); in quo hæc leguntur: *Si quis dixerit, Ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere aut non conferre Sacramentum, anathema sit.* Ratio hujus decisionis clara est. Nam I. Potestas conficiendi Sacramentum est gratia gratis data, quae scilicet datur ad aliorum utilitatem; atqui hæc gratia per peccatum non tollitur; unde et legitur quod Caiphas, licet impius, de Christo prophetaverit; Ergo etc. II. Qui Sacramentum conficit non agit nomine proprio sed Christi (§. 5.), et minister secundarius est; Ergo valor Sacramentorum sicuti est; ab opere bono ex Christi institutione ministrato; ita a sanctitate ministri non pendet. III. tandem nemo de sua sanctitate sibi conscius est, multoque minus de aliena; Si ergo a sanctitate Ministri Sacramentorum valor penderet, nullus de suscepto Sacramento posset esse securus. *Quomodo enim securi erunt*, scribit S. Augustinus (Lib. I. contra Epist. Petilia.), *si conscientia dantis attenditur, quæ latet oculos accepturi.* Adeoq. etc.

§. 152. Prob. II. P. ex Conciliis, praesertim Lateranense IV., et Tridentino. Ac illud quidem haec habet (Cap. I.) *Sacramentum Baptismi, quod ad invocationem individuae Trinitatis, videlicet Patris et Filii, et Spiritus Sancti consecratur in aqua, tam parvulis, quam adultis in forma Ecclesiæ, a quocumque, rite collatum, proficit ad salutem.* Tridentina vero Synodus hunc addidit Canonem (Sess. 7. c. 4.): *Si quis dixerit Baptismum, qui etiam datur ab Hæ-*

reticis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum Baptismum, anathema sit; Ergo etc.

§. 153. Objic. C. I. P. Nemo dat quod non habet: Sed minister scelestus gratiam non habet; Ergo nequit aliis per Sacramenta impertiri; Unde in Ecclesiastico habetur (Eccl. Cap. XXXIV. v. 4.) *ab immundo quid mundabitur?*

§. 154. R. Argumentum hoc, maximi foret roboris, si gratia, quæ in Sacramentis impertitur foret gratia ministri. Verum ita non est. Auctor namque gratiae est Christus, et gratia ipsius, salvos nos faciunt Sacramenta. Parum itaque refert, an minister habeat gratiam, nec ne, quia ipse non dat, quod non habet, sed est instrumentum, et dispensator multiformis gratiae Dei.

§. 155. *Contra.* Atqui Minister licet dispensator gratiae, si est reprobus, Sacramentum non conficit; Igitur n. r. Prob. subsm. Deus non consentit, quoties Sacramenta a malis ministris conficiuntur; imo contradicit, eisque maledicit; per Malachiam namque ait impiis ministris (Cap. II. v. 2.): *Maledicam benedictionibus vestris.* Ergo etc.

§. 156. R. Deo utique displicet quod Sacramenta a malis ministris conficiantur, non quia Sacramenta vere, et realiter non conficiantur, sed quia sancta turpiter, et indigne tractantur, et Ministri novo scelere, sacrilegii nempe, se obstrigunt. Quod autem Deus dicat impiis Sacerdotibus per Malachiam: *maledicam benedictionem vestris*, non loquitur de Sacramentis novae legis, quae gratiam conferunt ex opere operato (§. 104.); sed de actionibus, quae vim habebant ex opere operantis.

§. 157. *Contra.* Atqui Deo displicet quod Sacramenta a malis Sacerdotibus administrentur, non quia indigne administrantur, sed quia non conficiuntur; Ergo stat argum: Prob: subsm. Ad Sacramenta

conficienda requiritur Spiritus Sanctus: dixit namque Christus Dominus discipulis suis (Joann: XX. v. 22. 23.): *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis;* Sed improbi ministri non habent Spiritum Sanctum; Ergo non conficiunt Sacramenta; Adeoque etc.

§. 158. R. dist: maj: Ad etc; scilicet potestas ministerialis Sacramenta conficiendi, quæ est donum Spiritus Sancti, gratis datum, conc:; requiritur gratia Spiritus Sancti sanctificans, subd: ad licite, et sancte prout oportet, Sacramenta conficienda, conc: ad conficienda absolute Sacramenta; n. maj; et dist: min: Improbi etc: nam habent gratiam sanctificantem Spiritus Sancti, conc:, non habent gratiam ministerialem Sacramenta conficiendi, n. min: ergo etc: n. utramque consam. Cum gratia Spiritus Sancti Sacramenta conficiendi sit gratia gratis data, hæc a ministro, licet improbo non amittitur; Adeoque licet sit scelestus, et improbus minister, modo nihil aliud obsit, valide conficit Sacramenta (1).

PROPOSITIO III.

Minister in statu peccati mortalis, et sine ulla caussa excusante, conficiens, aut administrans Sacramenta graviter peccat.

§. 159. Prob. Nam si in Lege Veteri, in qua Sacramenta erant tantum umbrae, et figurae Sacramentorum novae Legis, et de Ministris dicitur quod Sancti esse debebant; unde in Exodo (Cap. XIX. v. 22.) legitur: *Sacerdotes qui accedunt ad Dominum sanctificentur;* et in Levitico (Cap. XXI.

(1) Alia quae opponuntur vide apud Auctores cit. Antoinè praesertim Art. VI. Boucat de Sacram. Disp. Proemia Art. III. q. II.

v. 6.) : *Sacerdotes . . . Sancti erunt Deo suo . . . incensum enim Domini, et panes Dei sui offerunt, ideo Sancti erunt*; nec non apud Isaiam: *Mundamini qui fertis vasa Domini*; quanto magis mundi et Sancti esse debent Sacramentorum ministri in nova Lege, in qua Sacramenta, revera conferunt gratiam quam significant (§. 100.)? Sancti quidem, *habentes*, ut ait Apostolus ad Timotheum (Epist. I. Cap. III. v. 9. 10.), *mysterium fidei in conscientia pura. Et hi autem probentur primum, et sic ministrent, nullum crimen habentes*. Quare S. Augustinus (1) « » Sacramenta ait, cum obsint indigne tractantibus, » prosunt tamen per eos digne sumentibus ». Ex quibus sic: Ministri Sacramentorum, ut digne ad Sacramenta conficienda, et ministranda accedant, debent santificari prius, prius sancti esse debent, mundi, puri, nullumque crimen habere; Ergo aliter facientes, sine ulla caussa excusante, mortaliter peccant; adeoque etc.

PROPOSITIO IV.

In extremo mortis periculo licet a quocumque ministro petere, et accipere Sacramenta Baptismi, et Pœnitentiæ.

§. 160. Prob. Nam *ne aliquis pereat in Ecclesia Dei, custoditum semper fuit*, ait Tridentina Synodus (Sess. XIV. Cap. VII.), *ut nulla sit reservatio in articulo mortis: atque ideo omnes Sacerdotes, quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis, et censuris absolvere possunt in extremo vitae discrimine*. Hæc de Pœnitentia; de Baptismo autem ita loquitur S. Augustinus (Lib. I. de Bapt. Cap. II.): « Si

(1) Lib. II. contra Epist. Parmen Cap. X.

» quem forte coegerit extrema necessitas, ubi Catho-
» licum, per quem accipiat (*Baptismum*) non in-
» venerit, et in animo pace catholica custodita, per
» aliquem extra unitatem Catholicam positum acce-
» perit, quod erat in ipsa unitate accepturus, si sta-
» tim etiam de hac vita emigraverit, non eum nisi
» Catholicum deputamus »; Ergo etc.

PROPOSITIO V.

Sine justa causa non licet petere Sacramenta ab improbo ministro, etiam tolerato.

§. 161. Prob. Nam non licet alium ad peccandum mortaliter inducere; sed qui sine justa caussa ab improbo ministro peteret Sacramenta ipsum induceret ad mortaliter peccandum (§. 159.); Ergo etc.

PROPOSITIO VI.

Ad valide conficienda Sacramenta debent Ministri habere sinceram intentionem, saltem implicitam faciendi quod facit Ecclesia.

§. 162. Prob. Nam ita statutum fuit in Concilio Florentino (§. 65.); et ita pariter sancivit Tridentina Synodus (Sess. VII. Can. II.): *Si quis dixerit, in Ministris, dum Sacramenta conficiunt, et conferunt non requiri intentionem, saltem faciendi quod facit Ecclesia, anathema sit;* Ergo etc. « Et
» recte quidem; Nam dispensatio Sacramentorum,
» ait Seraphicus Doctor (Brevil. P. VI. Cap. IV.):
» est opus hominis, ut rationalis, ut Ministri Chri-
» sti, et uti ministri salutis. Hinc est, quod necesse

» est, quod fiat ex intentione, qua quis intendat fa-
» cere quod Christus instituit ad humanam salutem,
» vel saltem, quod facit Ecclesia (1).

CAPUT V.

De subjecto Sacramentorum.

§. 163. *Animad.* Qui Sacramentum aliquod recipit, cujus est capax, subjectum Sacramenti dicitur. Quoniam ergo Sacramenta ad salutem hominis viatoris a Christo Domino instituta sunt (§. 13.); patet solum hominem viatorem Sacramentorum esse subjectum. At non omnium omnes; nam homo sanus non est subjectum Extremæ Unctionis, Religiosus, aut in Sacris jam constitutus, non est capax Matrimonii; et mulier non est capax Sacramenti Ordinis.

§. 164. *Schol.* Ut autem homo viator valide Sacramentum, cujus est capax, recipiat, requiritur ne aliqua dispositio? Lutherus fidem in baptizandis requirit; et Desiderius Erasmus vult, tamquam non baptizatos habendos esse, qui baptizati in infantia, Baptismum non ratificaverint. Vanroy (Tomo IV. pag. 8.); docet, adultum, licet contradicentem, valide suscipere Sacramenta. Contra quos sit.

PROPOSITIO I.

In infantibus, aut perpetuo amentibus nulla requiritur intentio, aut consensus, ut valide recipiant Sacramenta, quorum sunt capaces.

§. 165. Prob. Est praxis in Ecclesia constanter retenta, ut baptizentur infantes, qui nec fidem con-

(1) Vid. Boucat de Sacram. in Gen. Art. VI. Cap. II. Punct. I.

cipere possunt, neque intentionem habere recipiendi Sacramentum; Atqui quod Ecclesia Catholica in praxim revocat, maxime ubi agitur de Sacramentis, et praesertim Baptismi, a quo pendet hominum regeneratio, quodque est aliorum omnium Sacramentorum janua, nequit non esse verum; Ergo etc.

PROPOSITIO II.

Ad valide suscipiendum Sacramentum, adultus debet habere intentionem, et præbere consensum.

§. 166. Prob. Nam ex Tridentino (Sess. VI. Cap. VII.): justificatio est renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiae, et donorum; *Ille* ergo, optime decrevit Innocentius III. (Cap. *Majores* de Bapt.), *qui numquam consentit, sed penitus contradicit, nec rem, nec characterem suscipit Sacramenti*; *Quia*, ut ait Doctor subtilis (In IV. Dist. IV. q. X. n. 3.), *Deus per Sapientem* dicit: *Fili præbe mihi cor tuum, nolens aliquem omnino invitum adscribi familiæ suæ*. Quænam autem intententio sit necessaria, vide fusius apud Auctores citatos:

Quaeres. *Utrum Sacramenta novæ Legis æqualis sint inter se dignitatis?*

§. 167. Negative, et est de fide a Concilio Tridentino statutum contra Lutherum, his verbis (Sess. VII. Can. 3.): *Si quis dixerit septem Sacramenta ita esse inter se paria, ut nulla ratione aliud sit alio dignius, anathema sit.*

Quaeres. *Num, et quomodo Sacramenta hominibus lapsis sint necessaria?*

§. 168. R. 1. Absolute loquendo Sacramenta non fuissent homini necessaria, quia absque Sacramentis, potuisset Deus, per alia media, homines ad salutem consequendam juvare, in quocumque statu illi fuissent; Supposita tamen Sacramentorum institutione, in statu Naturæ lapsae

§. 169. R. 2. Sacramenta alia sunt necessaria necessitate medii ad salutem, ut est Baptisma pro parvulis; alia sunt necessaria, necessitate cum medii, tum præcepti, uti sunt Baptisma, et Poenitentia in re aut in voto pro adultis, qui habent peccatum originale, vel post Baptismum in aliquod mortale peccatum lapsi sunt. Alia sunt necessaria solum necessitate praecepti, uti Eucharistia; alia neque medii, neque præcepti singulis hominibus necessaria sunt, uti Ordo, et Matrimonium. Quo autem sensu Confirmatio, et Extrema unctio sint necessaria, suo loco explicabitur.

Quaeres. *Utrum in administrandis Sacramentis Ecclesia semper quasdam adhibuerit caeremonias?*

§. 170. R. Adfirm. Ac merito quidem, *verba sunt Catechismi Romani* (Parte II. De Sac: in Gen. n. 18.), « a primis usque Ecclesiae temporibus illud semper servatum est, ut Sacramenta solemnibus quibusdam » cæremoniis ministrarentur. Primum enim maxime » decuit, sacris mysteriis eum Religionis cultum tribuere, ut Sancta sancti tractare videremur. Præterea quae Sacramento efficiuntur, cæremoniæ ipsæ » magis declarant, ac veluti ante oculos ponunt, et » earum rerum sanctitatem in animos fidelium altius imprimunt. Deinde vero mentes illorum, qui » eas intuentur, et diligenter observant ad sublimium » rerum cogitationem erigunt, fidemque in eis, et charitatem excitant: quo major cura, et diligentia » adhibenda erit, ut fideles vim caeremoniarum, quibus singula Sacramenta conficiuntur cognitam, et » perspectam habeant (1) ».

Quæres. *An, et quomodo peccent Ministri non servantes ritus ab Ecclesia præscriptos in Sacramentis tum conficiendis, tum administrandis?*

---

(1) Vid. Tournely de Sacram. in Genere q. ult.

§. 171. R. Modo nulla sit necessitas, et caussa urgens, peccant utique supradicti Ministri, et quidem graviter, vel leviter prout gravis, vel levis est inobservantia. Nam in Concilio Tridentino ita statutum habetur (Sess. VII. Can. 13.): *Si quis dixerit, receptos, et approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a Ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari posse, anathema sit.* Et sane: tales ritus laudabiliter et utiliter ab Ecclesia praescripti sunt (§. 170.); illos ergo negligere, aut nolle servare, est Ecclesiae auctoritatem parvipendere, eique resistere: Sed qui Ecclesiæ auctoritati resistit, pro qualitate inobservantiæ praeceptorum ejus, peccat graviter, vel leviter (§. 121.); Ergo etc.

TRACTATUS II:

De Sacramentis Baptismi, Confirmationis, et Eucharistiae.

§. 172. De Baptismo sermonem facturi, fatemur ingenue cum D. Gregorio Nazianzeno (Orat. in S. Baptisma.): quod « hunc praedicare quidem et laudibus ornare gestimus; verum pro rei dignitate non possumus ». Et quomodo possumus, si tanta est ejus virtus, tantaque praestantia, ut ejus lavacrum, Magnus ille Doctor Augustinus, vix Mariae Virgini Deiparae dubitat praeferre? « Pene, en ejus verba (Serm. XXXVI. de Temp.), majori munere, quam Mariae, unda ditata est: illa enim sibi tantum meruit castitatem; ista nobis contulit sanctificationem: illa meruit ne peccaret, ista ut peccata deleret: illa propria delicta a se repudiat, ista in se per Dei gratiam aliena condonat: illa

» unum procreavit, et pura est, ista generavit plu» rimos, et Virgo est, illa praeter Christum nescit » alium Filium, ista cum Christo mater est popu» lorum » : De hoc nihilominus Sacramento cum verba facere debeamus, sicuti etiam de Confirmatione, et Eucharistia, quae Catholice scienda, et tenenda sunt, distinctis Capitibus explicare, ea qua fieri potest brevitate, conabimur.

CAPUT I.

De Nomine, et Natura Baptismi.

§. 173. *Animad.* *Baptisma* Græce, Latine *tinctio*, *lotio*, *ablutio*, *immersio*, secundum nomen nihil aliud significat, quam lotionem in aqua, vel communem, ut cum de Judith dicitur (Cap. VII. v. 3.): *Exibat noctibus in vallem Bethuliæ, et baptizabat se in fonte aquæ;* vel Legalem, et caeremonialem, ut cum de Pharisaeis, et Judaeis scribit S. Marcus (Cap. VII. v. 3.): *Pharisæi, et omnes Judæi, nisi crebo laverint manus, non manducant, et a foro, nisi baptizentur non comedunt, et alia multa sunt, quae tradita sunt illis servare, baptismata calicum etc.*, vel metaphoricam, et accomodatitiam, veluti cum Christus de sua passione et morte, quae copiosa sanguinis effusione evenire debebat loquens, dixit filiis Zebedaei (Ibid. Cap. X. v. 38.): *Potestis bibere calicem, quem ego bibo, aut baptismo, quo ego baptizor, baptizari?* Vel tandem illam sacram, et mysticam lotionem significat, qua in Ecclesia Dei, homines aqua tinguntur in corpore, ut interius a maculis peccatorum mundentur, et renascantur spiritu, juxta illud Christi Domini (Joann. Cap. III. v. 5.): *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Et in hoc sensu Baptismi nomen hic usurpatur. Quid autem sit Baptismus proprie, et ad rem, sequens patefaciet.

PROPOSITIO

Baptismus est Sacramentum a Christo Domino institutum, ad spiritualem hominis regenerationem, per exteriorem corporis ablutionem, factum aqua, sub præscripta forma verborum.

§. 174. Exponitur, et simul probatur propositio. Dicitur itaque I. *Baptismus est Sacramentum*; Nam in eo reperiuntur omnia, quae ad constituendum veri nominis Sacramentum prærequiruntur (§. 48.); 2. a *Christo Domino institutum*; et sane; nam Sacramenta omnia, nonnisi a Christo Domino fuerunt instituta (§. 47.); 3. *ad spiritualem hominis regenerationem*; Nam ut ait S. Joannes Chrysostomus (Catechesi I. ad illuminandos.), hoc Sacramentum « non solum nobis peccata remittit, ne» que solum delicta purgat; sed ita id praestat, ac si » denuo generati essemus. Etenim nos denuo creat, » et format, non ex terra rursum effingens, sed ex » alio elemento, aquarum scilicet natura creans ». 4. *per exteriorem corporis ablutionem;* Hæc enim est materia proxima hujus Sacramenti. 5. *factam aqua*, quae est materia remota; 6. tandem *sub præscripta forma verborum;* nempe: *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti;* Ergo etc.

Quæres. *Quotuplex sit Baptismus?*

§. 175. R. Baptismus stricte sumptus (§. 174.) non est nisi unicus. Inquit enim Apostolus ad Ephesios (Cap. IV. v. 5.): *Unus Dominus, una fides, unum baptisma*; sumptus vero late, triplex est, *Fluminis* nempe, de quo loquimur, *Flaminis*, quo nempe gratia Spiritus Sancti confertur ei, qui perfecta pœnitentia de peccatis motus, ardenter fluminis baptismum inquirit, neque potest recipere; *Sanguinis* tandem, quo sanguis effunditur propter fidem Jesu Christi ab eo, qui nondum baptismo fluminis est bap-

tizatus, sed baptizari peroptabat. Inter hæc autem tria baptismata, solum Baptisma fluminis est Sacramentum, alia vero duo supplent vices illius.

CAPUT II.

De materia, et forma Baptismatis.

§. 176. *Animad.* Quoniam Baptisma est Sacramentum (§. 174.) constare propterea debet materia et forma (§. 65.). Quænam vero sit hujus Sacramenti materia, quaenam forma.

Dissidium est inter Catholicos, et Hæreticos.

§. 177. Manichæi putantes aquam esse a malo principio, *Baptismum in aqua*, uti refert S. Augustinus (Lib. de Haeresibus, Haeresi 46.), *nihil cuiquam perhibent salutis afferre.* Seleuciani, et Herminiani, teste Philastrio, Baptismum in aqua non recipiebant; idque *propter verbum hoc, quod dixit Joannes Baptista, ipse baptizabit Spiritu Sancto et igne.* Idipsum fecerunt Cathari, uti scribit Eckbertus Presbyter, qui floruit anno 1160.; quibus Waldenses ex eadem Manichaeorum familia accensentur. Armeni, baptismum quidem in aqua admittebant, sed in necessiate, quidam in vino, quidam in lacte baptizabant; idipsum placuit Luthero, ac Theodoro Beza; quare interrogatus Lutherus, an in defectu aquae liceret in lacte baptismum conferre, respondit. *Quidquid balnei loco esse potest illud aptum esse ad baptizandum.* Nec minus circa Baptismatis formam errarunt Haeretici, quorum errores cum per manifesta, et expressa Christi verba arguantur, hic non recensemus (1). Ut autem quod Catholici docent distincte percipiatur, sequentibus Pro-

(1) Vid. apud Tournely de Baptismo art. IV.

positionibus, quae de materia, et forma hujus Sacramenti tenenda sunt, exponemus, et demostrabimus.

PROPOSITIO I.

Materia remota Baptismi est sola aqua naturalis, seu elementaris (1).

§. 178. Prob. 1. ex Scripturis. Apud Joannem ait Christus Dominus (Cap. III. v. 5.): *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto non potest introire in Regnum Dei;* utque suo exemplo quod dixerat comprobaret, venit ipse et Discipuli ejus *in terram Judæam, et illic demorabatur cum eis, et baptizabat. Erat autem et Joannes baptizans in Ennon juxta Salim, quia aquæ multæ erant ibi.* Christi Domini exemplum, et doctrinam secuti Apostoli, et ejus discipuli, in aqua baptizabant. Hinc cum a S. Philippo Diacono edoctus, veritatem Christianae Religionis percepisset Eunuchus Reginæ Candacis, et uterque venissent *ad quamdam aquam, ait Eunuchus* (Actorum Cap. VIII. v. 36.); *Ecce aqua, quid prohibet me baptizari? et descenderunt uterque in aquam Philippus, et Eunuchus, et baptizavit eum.* Ex quibus, aliisque consimilibus testimoniis, ita liceat argumentari: *Quod in Scripturis sanctis perspicue sonat*, inquit S. Augustinus (Lib. III. de Doct. Christ. Cap. X.), *non est ad aliud referendum, quasi figuratae dictum sit;* Atqui ex allatis testimoniis perspicue sonat, aquam naturalem adhibendam esse in Baptismo; Ergo vera aqua naturalis in Baptismo adhibenda est; Adeoque etc.

§. 179. Prob: II. ex Conciliis. Concilium La-

---

(1) Sive ea sit maris, sive fluvii, sive paludis, sive putei, aut fontis.

teranense haec habet: *Sacramentum Baptismi (quod ad Dei invocationem, et individuæ Trinitatis, videlicet Patris, et Filii, et Spiritus Sancti consesecratur in aqua) tam parvulis quam adultis* etc: Concilium Florentinum sub Eugenio IV. in Decreto unionis ita clare se explicat: *Materia hujus Sacramenti* (scil: Baptis:) *est aqua vera, et naturalis.* Tandem Patres Tridentini Concilii hunc Canonem ediderunt (Sess. VII. Can. 2.): *Si quis dixerit, aquam veram, et naturalem non esse de necessitate Baptismi, atque ideo verba illa Domini Christi: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, ad metaphoram aliquam detorserit, anathema sit.*

§. 180. Ratio autem cur Christus pro materia hujus Sacramenti naturalem aquam elegerit, a priori est ipsa ejusdem Christi voluntas; sed a posteriori *sunt apertæ congruentiæ*, ait Doctor subtilis (In IV. Dist. III. q. III. n. 2.), *quia aqua est frigida, fluida lucida, necessaria, et communis, et hæ omnes proprietates conveniunt illi humori, in quo debet fieri Baptismus, qui est ad reprimendum æstum concupiscentiae, ad flectendum rigorem inobedientiæ, ad illustrandam claritatem fidei, ad introducendum in viam salutis; et hoc est commune omnibus, sicut lex ista, cujus hoc Sacramentum est initiativum, communis est omnibus ad salutem.*

Adversariorum oppositiones solvuntur.

§. 181. Objic: 1. Si materia Sacramenti Baptismi esset aqua, Baptismus Christi non differret a Baptismo Joannis, cujus materia pariter erat aqua. Atqui, ut Catholici Theologi docent, Christi Baptismus ab illo Joannis multum differt; Ergo falsa Propositio.

§. 182. R. dist. maj., quoad aquam solummodo, conc; quoad alia bene multa, n. maj; conc: min:, et n. consm. Esto aqua admittatur pro materia remota Ba-

ptismatis tam Joannis quam Christi, non inde tamen erui potest; utriusque Baptismum æqualem esse. Nam Baptismus Joannis non erat Sacramentum proprie dictum, sed quaedam praeparatio, et dispositio ad Baptismum a Christo instituendum; neque gratiam causabat sanctificantem ex opere operato, sed ex opere operantis, virtute nempe poenitentiae, ad quam erat exhortatio. Immaniter itaque ab illo Jesù Christi distabat; eo vel maxime, quod non erat in remedium peccati originalis; alias omnes illi, qui Baptismo Joannis baptizati erant, rebaptizati non fuissent, quod contra factum est.

§. 183. *Contra.* Atqui diversus non fuisset Christi Baptismus ab illo Joannis, si materia Baptismi Christi fuisset aqua, sicut in Baptismate Joannis; Ergo n. r. Prob: subm: Ipse Joannes de differentia loquens sui Baptismi a Christi Baptismo, ait (Marci Cap: I. v. 8.): *Ego baptizavi vos aqua, ille vero baptizabit vos Spiritu Sancto; et igne*, ut additur apud S. Matthæum. (Cap. III. v. 11.); Ergo etc.

§. 184. R. admitt: auct:, dist: sensum; et ignis nomen metaphorice hic accipiendum est, con:, proprie, n: antec:; Ergo etc: n. consm. Cum impossibile prorsus sit, materiam ad comburendum destinatam, ad lavandum posse aptari; ubi agitur de Baptismo, qui ablutione fit, ignis certe illius materia esse nequit. Cum itaque S. Joannes inquit, Christum suos baptizaturum esse Spiritu Sancto, et igne, ignis vocabulum metaphorice accipit, pro gratia nempe, et virtute Spiritus Sancti, quae Christi baptismo obtineretur. Ignis itaque nomine, effectum potius Baptismi, quam materiam illius, verbis laudatis S. Joannes ostendit.

§. 185. *Contra.* Atqui nullatenus aqua, materia proxima Baptismi dici potest; Ergo stat argum. Prob: subsm. Sicuti vos probatis, aquam esse remotam Baptismi materiam ex illo Joannis (Cap: III. v. 3.):

Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto etc:, ita et nos oppositum probamus ex illo Matthæi: *Baptizabit Spiritu Sancto, et igne*; Atqui vos dicitis in laudato a nobis testimonio, nomen ignis metaphorice accipiendum esse; Ergo et nos dicimus, aquae vocabulum in laudato a vobis testimonio, metaphorice accipiendum esse; Adeoque etc.

§. 186. R. conc: maj; min; n. utramque consam. Cur vocabulum ignis laudato in testimonio, metaphorice, et non proprie accipiendum sit, jam satis in data superius (§. 184.) responsione explicavimus. At vero, quod simili ratione, aquae vocabulum, in laudato a nobis testimonio, metaphorice quoque, et non proprie accipiendum sit, id est quod admittere nullatenus debemus, nec possumus. Nam quoties in Sacris Literis de Sacramento Baptimi fit sermo, semper de lavacro, quod aqua fit vera, naturali, non mystica, mentio habetur; Sane cum a S. Philippo Eunuchus Reginae Candacis quaesiisset Baptisma, et illud Philippus ei administravit, dicit Scriptura (Actor: Cap: VIII. v. 38.), quod *descenderunt uterque in aquam, Philippus, et Eunuchus, et baptizavit eum.* Idipsum clarissime patet ex aliis Scripturarum exemplis, atque continua praxi, numquam interrupta S. Romanae Ecclesiae.

§. 187. Objic: 2. variis mediis. Ac 1. Nicephori testimonio, (Lib: III. Cap. 37:), Judaeus quidam cum per loca arida iter faceret, atque de vita periclitaretur, et maximo interim baptismi desiderio teneretur, cum aqua non esset, socius in arena eum volutavit, sicque illum baptizavit, ex quo salutem quoque corporis illico recepit; Igitur etc. II. Cum quidam Presbyter, ob aquae defectum, puerum de vita perclitantem, vino baptizasset, ad Stephanum II. Pontificem habitus fuit recursus, ut suam de eo sententiam, diceret; respondit Stephanus: *Si vino quis propterea quod aquam non inveniebat omnino pericli-*

tantem infantem baptizavit, nulla ei exinde adscribitur culpa (Infantes sic permaneant in ipso baptismo). Ergo etc.

§. 188. R. ad singula. Et ad I. Subita illa, atque miraculosa Judaei curatio, non fuit, nec esse poterat effectus Baptismi, qui defectu competentis materiae, non fuit collatus, sed vel fidei, et pietatis singularis Judaei ipsius, vel illius socii, qui bona fide, et recta intentione dedit illi baptismum in arena. De reliquo, domum reversi, et factum illud ad Dionysium Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopum referentes: *Ille admiratione stupens, Ecclesiam ea de re consuluit; cui visum est, aqua insuper, juxta Ecclesiæ traditionem, esse abluendum.*

Ad II. Communis fere Theologorum sententia est, Responsum illud Stephani suppositium esse; et dato, quod uti verum admitti velit, saltem dicendum, mendum aliquod Librariorum in illud irrepsisse, cum nullibi quid simile inveniatur.

PROPOSITIO II.

Materia proxima Sacramenti Baptismatis est exterior ablutio per aquam, immediate supra corpus baptizandi fluentem.

§. 189. Prob. Materia proxima alicujus Sacramenti consistit in applicatione materiae remotae illius; Atqui materia remota Baptismi est aqua naturalis (§. 178.); Ergo applicatio aquae; hoc est exterior corporis ablutio per aquam etc. est materia proxima Sacramenti. Deinde baptizare idem est ac abluere (§. 173.); et Baptisma ex Apostolo ad Ephesios (Cap. V. v. 26.) est lavacrum *aquæ in verbo vitæ*; in quae verba: « Quid est Baptismus: ait S. Augustinus (Tract: 15. in Joann.) Lavacrum aquae in » verbo ».

PROPOSITIO III.

Validum est Baptisma sive per unam, aut trinam immersionem, sive per aspersionem ministratur.

§. 190. Prob. Christus Dominus Baptisma instituens, ad ejus valorem, ablutionem praecepit: *Baptizantes eos; Nisi quis renatus fuerit ex aqua etc.* non modum abluendi; Ergo dummodo fiat ablutio, quocumque modo fit, baptisma est validum (1).

PROPOSITIO IV.

Vera, et legitima Baptismi forma hæc est: Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.

§. 191. Prob. Nam haec forma eruitur ex verbis Christi Domini apud Matthaeum (Cap. ult. v. 19.): *Docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti;* Ergo etc. Deinde haec est forma in Ecclesia Latina semper in administratione Baptismi adhibita; Quare decrevit Alexander III. (Cap. Si quis ext. de Bapt.), *Quod si quis puerum ter in aqua immersit in nomine Patris, Filii, Spiritus Sancti, Amen: Et non dixerit: Ego te Baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, non est puer baptizatus;* Igitur etc. (2).

---

(1) Vid. Auctores citat. qui recte admonent, servandum esse ritum propriae Ecclesiae.

(2) Plura de hac materia vid. apud Frassen.

PROPOSITIO V.

Ut valeat Baptismus, forma debet proferri a Ministro baptizante.

§. 192. Prob. Nam si unus in baptismo poneret materiam, vel actionem, hoc est aquam effunderet in caput baptizandi, et alter formam proferret, neuter verum baptismum conficeret, non primus, quia non proferret formam; non secundus, quia non poneret ipse actionem, et insuper formam proferret mendacem; diceret enim, *ego te baptizo*, cum tamen in baptizando actionem suam non poneret; Ergo etc. Unde Doctor subtilis (1), scripsit: *utroque seorsim aliquid faciente, nihil fit. Nec est alia ratio nisi institutio Dei, qui sicut voluit esse unum principale agens, ita voluit habere unum Ministrum in collatione integra baptismi.* His addi potest quod communiter docent Theologi; ad valorem nempe formae quatuor requiri; nempe 1. ut exprimatur saltem implicite *persona baptizans*, seu *minister;* 2. *actio baptizandi;* 3. *persona baptizanda; et expressio Unitatis, et Trinitatis Personarum Divinarum*; quod verbis illis: *baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*, haud obscure demonstratur. Cum ergo alius ponens materiam, alter formam Baptismi proferret, actio ministri deesset; forma profecto non valet.

(1) Vid. Henno de Baptismo Disp. I. Quaest. V.

PROPOSITIO VI.

Probabile est; Baptismum ab Apostolis, ex divina dispensatione, in solo expresso nomine Christi, aliquando collatum, validum fuisse. Attamen, præter id, ut, validum fuerit Baptismum, necessaria semper fuit expressa mentio Trium Personarum SS. Trinitatis.

§. 193. Prob. I. P. In Actibus Apostolorum legitur (Cap. II. v. 38.) dixisse Petrum Judaeis; *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi*; et (Actor. Cap. VIII. v. 12.) quod cum Samaritani *credidissent Philippo evangelizanti de regno Dei, in nomine Jesu Christi baptizabantur viri ac mulieres*. De facto, cum ad eos venissent Petrus et Joannes, *oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum* (Ibid. v. 15.): *Nondum enim in quemquam illorum venerat; sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu.* Ex quibus sic: Baptismus in solo nomine Christi expresse legitur ab Apostolis administratus fidelibus; neque habetur, aliquos ita baptizatos, rebaptizatos fuisse; ergo fuit pro tunc validum; Atqui forma a Jesu Christo pro baptismo præscripta, erat *in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti;* Ergo si valuit, id fuit ex dispensatione Divina; ut nempe magis glorificaretur nomen Domini nostri Jesu Christi, et honorabile tam Judaeis, quam Gentibus redderetur; atque omnes intelligerent, non esse aliud *Nomen sub Cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri* (Ibid. Cap. IV. v. 12.).

§. 194. *Animad.* Esto autem hic concedatur, Apostolos in solo expresso nomine Christi aliquando baptismum administrasse, non tamen putandum est, eos penitus exclusisse alias SS. Trinitatis Personas, quinimo tenendum, eos implicite alias Personas adhibuisse, adhibendo expresse nomen Christi. Nam « sicut qui

» benedicitur in Christo, ait S. Ambrosius (Lib. I. » de Spiritu Sancto), benedicitur in nomine Patris » et Filii, et Spiritus Sancti, quia unum nomen po- » testas una: ita etiam ubi operatio aliqua Divina » aut Patris, aut Filii, aut Spiritus Sancti designa- » tur, non solum ad Spiritum Sanctum, sed etiam » ad Patrem refertur, et Filium: nec solum ad Pa- » trem, sed etiam refertur ad Filium, et Spiritum » Sanctum. Denique et Ethyops Eunuchus Candacis » Reginae Baptizatus in Christo, plenum mysterium » consecutus est ». Quare Nicolaus I. ad Consulta Bulgarorum respondens (Cap. 104.), inquit: *A quodam Judæo, nescitis utrum Christiano an Pagano, multos in Patria vestra baptizatos asseritis, et quid de iis sit agendum consulitis. Hi profecto, si in nomine Sanctae Trinitatis* (explicite nempe) *vel tantum in Christi nomine, sicut in Actibus Apostolorum legimus, baptizati sunt* (*unum quippe idemque est, ut exponit S. Ambrosius*) *constat, eos non esse denuo baptizandos* (1):

§. 195. Prob. II. P. Nam illa forma ad valorem Baptismi est necessario adhibenda, quae fuit a Domino Jesu Christo praescripta, et constanti, ac perpetua traditione in Ecclesia usurpata; atqui talis est forma apud Latinos; cum expressa nempe mentione trium Personarum SS. Trinitatis: *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti;* Ergo nunc ad valorem Baptismi necessaria est expressa mentio trium Personarum.

§. 196. Dices. Ex concessis (§. 193.), Apostoli aliquando in solo Christi nomine baptizarunt, et Baptismus nihilominus valuit; Ergo et potest nunc valere.

§. 197. R. cum S. Bonaventura (In IV. Disp. III. q. 11.), *quod Apostolis licuit baptizare in nomine Christi Divinitus inspiratis; sed non licet modo nobis. Nam data fuit virtus illi verbo, nempe nomini Christi, tempore primitivae Ecclesiæ, et una*

ratio fuit, quia nomen Christi implicat, et insinuat totam Trinitatem. Christus enim unctus dicitur; et ideo unguentum, et unctum, et unctionem insinuat, et sic cum prædicta forma concordabat. Alia ratio fuit, quia nomen Christi erat ignotum, et contumeliosum, utpote crucifixi, ut nomen publicaretur, et in reverentia haberetur, tunc temporis eo usi sunt. Et quia, cessante causa, cessat effectus, Christi nomine publicato, et honorabili facto, amplius nec debuit, nec potuit in eo impleri Sacramentum Baptismi, quia ad tempus tantum institutum fuit. Idipsum docet D. Thomas, dicens (Ut supra): *Ex speciali Christi revelatione, Apostoli in primitiva Ecclesia in nomine Christi baptizabant, ut nomen Christi, quod erat odiosum Judaeis et gentibus, honorabile redderetur.*

§. 198. *Contra*. Atqui si ex Christi dispensatione, validum fuit Baptisma in nomine solo Christi collatum, etiam nunc valet; Ergo n. r. Prob. subm. Ut nunc Baptisma in solo Christi nomine collatum non valeret, debuisset constare, dispensationem illam a Christo Apostolis factam, fuisse revocatam; Atqui hoc non constat; Ergo etc.

§. 199. R. Licet ex Sacris literis non constet, dispensationem illam fuisse revocatam, constat id tamen ex perpetua Patrum traditione, et Ecclesiae definitione. Nam 1. illa dispensatio revocata censetur, ex eo quod cessaverit caussa, ob quam data fuit. Siquidem, *forma tradita communiter*, ait Doctor subtilis (In IV. Disp. 2.), *semper manet forma, nisi per formae institutorem fiat dispensatio; sed forma non fuit dispensative tradita, nisi pro tempore quo fuit dispensandi ratio, scilicet in Ecclesia primitiva, ut nomen Christi divulgaretur: ergo tempore illius dispensationis cessante, forma illa sola manet, quæ fuit forma ex institutione* « 2. Adeo constans, et perpetua Patrum, a tempore Apostolorum ad nos pro-

ducta est traditio de expressa mentione Trium Personarum SS. Trinitatis in forma Baptismi, ut Bellarminus, Suarez, Vasquez, aliique graves quamplurimi Theologi recensiores, asserere non dubitarint, et quidem non sine fundamento, numquam Apostolos in solo nomine Christi baptizasse, et sine expressa aliarum Personarum mentione; et quod, illud legitur in Actis Apostolorum de Baptismo in nomine Christi, intelligendum esse hoc sensu, quod ipsi Baptismum administraverint institutum a Christo, et cujus auctor fuit Christus. 3. hanc formam in Ecclesia Latina plura Concilia confirmaverunt, talia sunt Lateranense (Cap. Firmiter de summa Trinit.) Florentinnm (In Decreto unionis.), et Tridentinum (Sess. VII. Can. 4.); Ergo etc.

PROPOSITIO VII.

Seclusa necessitate, ut Baptismus licite conferatur, saltem solemniter, ejus materia remota debet esse aqua benedicta, quae ex antiquo Ecclesiae usu Sabbato Sancto, et Pentecostes sacro ritu benedicitur, et in baptismali fonte asservari solet.

§. 200. Prob. Nam Ecclesia, fere ab ipso Apostolorum tempore, hanc praxim habuit: Quare S. Dionysius de hac benedictione, et consecratione aquae ad usum Baptismi loquens, ait: *Pontifex ad matrem adoptionis accedit* (ad fontem nempe baptismatis), *ejusque aquam sacris invocationibus consecrans, et eam trina unguenti, vim maximam habentis purificandi, per modum crucis, effusione perficiens.* Sed in administratione Sacramentorum praxis antiqua Ecclesiae, absque culpa nequit negligi, aut praetermitti, seclusa necessitate; Ergo etc.

CAPUT III.

De Sacramenti Baptismatis institutione, et præstantia.

§. 201. *Animad.* Baptismum esse Sacramentum a Christo Domino institutum, et Sacrae litterae testantur, et omnes pene confitentur, et ipsamet Baptismi definitio demonstrat (§. 174.) In hoc ergo capite tempus in quod Christus eum instituit, et illius praestantiam supra Baptismum Joannis examinabimus.

§. 202. Schol. Et quod ad Baptismi institutionem spectat, triplex est Auctorum sententia. Quidam enim cum Magistro Sententiarum, et Sancto Thoma tenent, Christum tunc instituisse Sacramentum Baptismi, cum ipse a Joanne baptizari voluit in Jordane. Alii auctoritate, sufsulti S. Joannis Chrysostomi (Hom. 28. in Joannem.), S. Leonis Papae (Epist. 4. ad Episcop. Siciliæ, Can. 2.), Tertulliani (Lib. de Bap. Cap. XI.), et nonnullorum aliorum Ecclesiae Patrum, docent, Christum instituisse Baptismum post Resurrectionem suam, et proprie quando dixit discipulis (Matthæi ult. v. 18.). *docete omnes Gentes, baptizantes eos etc.* Alii tandem cum Doctore subtili, medium tenentes, volunt, Baptismum ante Passionem fuisse a Christo institutum, et antequam Discipuli baptizassent, tempus vero præcisum ejus institutionis, non assignant.

§. 203. Quod vero ad ejus praestantiam attinet, litem cum Hæreticis habemus. Zuinglius namque, Centuriatores, et Calvinus, nullum omnino discrimem inter Christi Baptismum, et illum Joannis agnoscunt. En impudentissimi Calvini verba (Lib. IV. Instit. Cap: XV. n. 7.): « Certissimum fit idem fuisse » prorsus Joannis ministerium, quod Apostolis postea » delegatum est: non enim diversum baptismum fa- » ciunt diversae manus, quibus administratur, sed

» eumdem esse eadem doctrina ostendit: in unam do-
» ctrinam Joannes et Apostoli consenserunt, utrique
» in Pœnitentiam, utrique in remissionem peccatorum,
» utrique in nomen Christi, a quo poenitentia, et
» remissio peccatorum esset, baptizarunt ». Quid
autem tenendum erit, ex sequentibus patebit.

PROPOSITIO I.

Baptismus ante Passionem fuit a Christo institutus, sed incertum est quo præciso tempore.

§. 204. Prob. I. P. Ante Christi Passionem ejus Discipuli, et Apostoli baptizabant; legitur quippe apud Joannem (Cap. III. v. 22.): *Venit Jesus, et Discipuli ejus in terram Judæam: et illic demorabatur cum eis, et baptizabat;* Atqui Christi Discipuli non baptizabant Baptismate Joannis, juxta testimonium ipsius Baptistae, dicentis (Joan. I. v. 26. 33.): *Ego baptizo in aqua, medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis . . . hic est qui baptizat in Spiritu Sancto;* Ergo baptismo Christi baptizabant; Adeoque etc. Deinde si quos Apostoli baptizabant, baptismo a Jesu Christo instituto, non fuissent baptizati, debuissent rebaptizari, sicuti rebaptizabantur baptismo Christi, qui baptismo Joannis fuerant baptizati; atqui non fuerunt rebaptizati; Igitur qui ab Apostolis tunc erant baptizati, Christi baptismum recipiebant; et consequenter etc. Tandem Baptismus est janua omnium Sacramentorum; et per ipsum homines mundantur ab omnibus inquinamentis, et peccatis; itaut nullus absque Baptismo mundus dici potest; Apostoli ergo si baptismo a Christo instituto baptizati non fuissent, nec potuissent esse mundi, nec capaces digne Sacram Eucharistiam suscipiendi; Atqui ex Christi Domini testimonio in ultima Cœna, Apostoli erant mundi, Juda Iscariote excepto, et Chri-

stus Eucharistiae Sacramentum instituit, discipulis ad sumendum praebuit, eosque Sacerdotes ordinavit; Igitur Apostoli fuerant jam baptismo Christi baptizati. Adeoque etc. *Quomodo*, ad rem S. Augustinus (Epist. 163.) *poterant Apostoli Eucharistiam accipere nondum baptizati? Quomodo Petro, nolenti ut totum se lavaret, Christus respondit · Qui lotus est semel, non oportet eum iterum lavari, sed est mundus totus?*

§. 205. Prob. II. P. Si posset assignari tempus, in quo Christus Baptismum instituit, id esset profecto vel cum Christus fuit baptizatus a Joanne, vel cum sermonem habuit cum Nicodemo; atqui neutrum dici potest; non primum, quia Sacramentorum institutio est actus Legislatoris, et quidem Divini, quia nullus homo potest signo sensibili gratiam adnectere; Sed Christus in Jordane a Joanne baptizatus, non personam Legislatoris Divini, sed potius pœnitentis repræsentabat; Ergo etc. Ulterius si Christus cum baptizatus fuit a Joanne, Sacramentum Baptismi instituisset, Joannes non amplius in Baptismate suo, sed in Baptismate Christi, in posterum baptizavisset; Atqui Joannes usque dum non fuit missus in carcerem, baptismate suo baptizavit; Ergo etc. Sed neque secundum dici potest; Nam sermo, quem habuit Christus cum Nicodemo de Baptismo, fuit secrete; est autem ne verisimile, voluisse Christum instituere hoc tam necessarium Sacramentum in secreto, et non potius videntibus, et audientibus Discipulis, qui illius promulgatores, et ministri esse debebant? Igitur incertum est etc.

§. 206. Objic. contra. I. P. Baptismus ex Christi passione, et morte suam vim, et efficaciam habuit; Unde Apostolus ad Romanos scribens, ait (Roman. Cap. VI. v. 3.): *Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati su-*

mus; Igitur Baptismus non ante, sed post passionem fuit a Christo institutus.

§. 207. R. dist. ans. Ex passione, et morte Christi praevisa, et a Deo Patre acceptata, conc. ans.; ex passione, et Morte Christi, tantum completa, n. ans; cum consa. Si hoc argumentum oppositum valeret, dicere oporteret, nec etiam Eucharistiae, et Ordinis Sacramenta fuisse ante Passionem instituta; eo vel maxime, quod hæc, cum sint Sacramenta vivorum, supponunt gratiam in suscipiente, et hinc Baptismum; Jam vero, ex Scripturis manifestissime constat, Eucharistiæ, et Ordinis Sacramenta, in ultima Cæna, et ante Passionem fuisse a Christo instituta; Igitur sicuti Eucharistia, et Ordo, ita baptismus vim suam, et efficaciam habet non ex passione Christi jam peracta, sed praevisa, et jam acceptata; adeoque Baptismus ante Christi passionem fuit institutus.

§. 208. *Contra*. Atqui licet potuerit institui Baptismus ante Christi passionem, ex meritis praevisis, et acceptatis; tamen ante passionem institutus non fuit; Ergo n. r. Prob. subsm. Per Baptismum Christi datur Spiritus Sanctus, juxta illud Joannis Baptistae (Marci: I. v. 18.): *Ego aqua baptizavi vos, ille*, scilicet Christus, *baptizabit vos in Spiritu Sancto*; Sed ante Christi passionem *nondum Spiritus erat datus*; ergo licet etc.

§. 209. R. dist. min. Sed ante Christi passionem Spiritus Sanctus nondum erat datus modo visibili, conc.; absolute, et modo invisibili, n. min., et consm. Fatemur utique et nos, ante Christi passionem, Spiritum Sanctum non fuisse visibiliter datum hominibus, uti factum est in die Pentecostes; at negamus, eum hominibus datum invisibiliter non fuisse. Si namque Apostoli in noctæ Cænæ erant mundi, profecto abluti erant, sanctificati erant; quomodo autem santificati sine gratia? quomodo autem gratiam accepissent, quin etiam Spiritum Sanctum, per quem gratia Dei in

cordibus hominum diffunditur, invisibiliter accepissent? Acceperunt ergo Apostoli Spiritum Sanctum invisibiliter in Baptismo, quia nondum erat visibiliter datus.

PROPOSITIO II.

Baptismus Christi, Joannis Baptismum, virtute et efficacia longe præcelluit.

§. 210. Prob. Baptismus Joannis, nec fuit a Christo institutus, nec fuit signum stabile, ac permanens, nec gratiam conferebat ex opere operato: Unde non erat Sacramentum, ait Angelicus Doctor (3. P. q. 38. artic. ad 1.), *sed quasi quoddam Sacramentale, disponens ac præparans ad Baptismum Christi;* Sed Christi Baptismus est verum Sacramentum novae Legis, a Christo Domino institutum (§. 174.); quod proinde gratiam confert ex opere operato (§. 104.); Ergo Baptismus etc. Prob. maj: quoad singulas ejus partes. Ac 1. Baptismus Joannis non fuit a Christo institutus; Nam ideo dicebatur Baptismus Joannis, quia a Joanne datus fuerat, ut observat S. Augustinus (Lib. III. contra Lit. Petiliani C. 56.); 2. non fuit signum permanens, quia ex ipsius Joannis confessione, incipiente baptismo Christi, cessare debebat, unde Augustinus (Lib. V. de Bapt. Cap. IX.): *Accepit Joannes*, inquit, *baptismum non diu mansurum, sed quantum satis esset adparandam viam Domino, cujus eum esse præcursorem oportebat;* Tandem 3. non conferebat gratiam ex opere operato, sed ex opere operantis; ex merito nempe tum Joannis, baptismum conferentis, tum ex pœnitentia illius, qui baptismum recipiebat. Quare ajebat Joannes (Marci Cap. I. v. 8.): *Ego baptizavi vos aqua, ille vero baptizabit vos in Spiritu Sancto.* Jure propterea, meritoque Tridentina Synodus (Sess.

VII. Can. I.) hunc edidit Canonem : *Si quis dixerit, Baptismum Joannis eamdem vim habuisse cum Baptismo Christi, anathema sit.*

§. 211. Dices. Baptismus Joannis eumdem effectum producebat ac Baptismus Christi; Ergo non est iste efficacior illo. Prob. ans. Tam Baptismus Joannis, quam Baptismus Christi remittebant peccata; Ergo etc.

§. 212. R. dist. ans. Tam etc. remittebant peccata, diverso modo, conc., eodem modo, neg. ans, cum consa. Nam baptismus Joannis, si gratiam conferebat, et remissionem peccatorum, conferebat ex opere operantis; unde *per Baptisma Joannis*, ait S. Petrus Chrysologus (Serm. 137.) *purificabatur homo ad pœnitentiam, non promovebatur ad gratiam;* Baptismus vero Jesu Christi gratiam confert ex opere operato.

§. 213. *Contra.* Atqui eodem modo Baptismus Joannis eumdem effectum producebat ac Christi Baptismus; Ergo n. r. Prob. subsm. Si Joannis baptismus eumdem effectum non produxisset ac Baptismus Christi, illi qui fuissent baptismo Joannis baptizati, debuissent denuo baptizari, baptismo Christi; Atqui legimus, Apostolos qui prius baptismo Joannis baptizati fuerant, suscepisse Sacramenta Eucharistiae, et Ordinis Sacri, non tamen baptizatos fuisse baptismo Christi; ergo etc.

§. 214. R. dist. min. Non legimus etc., expressis verbis baptismo Christi etc., conc; non eruimus ex Scripturis etc., n. min., et consm. Certum ex Scripturis habemus, quod promulgata Lege de Baptismo, a Christo instituto, Apostoli, baptismo Joannis baptizatos, Baptismo Christi subjiciebant. Hinc cum Ephesi quosdam baptismate Joannis tantum baptizatos invenisset Paulus, jussit eos in nomine Christi baptizari (Actorum Cap. XIX. v. 4. 5.). Ex quo facile eruitur, etiam Apostolos, baptismo Joannis baptizatos, Baptismo Chri-

sti fuisse iterum baptizatos. Quod ex eo vel maxime patet, quod Apostoli, ante Christi passionem, jam babtizabant baptismo a Christo instituto (§. 104.); hoc ipso itaque baptismo baptizati fuerant (1).

CAPUT IV.

De Baptismi Ministro.

§. 215. *Animad.* Sacramenti Baptismi Minister sicuti et ceterorum Sacramentorum alius est *Ordinarius*, alius *extraordinarius*; insuper alius est *solemnitatis*, et alius *citra solemnitatem*. De Ministro *Ordinario et extraordinario*, jam loquuti fuimus (§. 144. 145.).

§. 216. *Def*: 1. *Minister solemnitatis Baptismi ille dicitur, qui sive ex proprio officio, sive ex delegatione solemniter, et cum omnibus cæremoniis ab Ecclesia præscriptis baptismum publice administrat.*

§. 217. *Def*: 2. *Minister* vero citra solemnitatem *est ille, qui Baptismum confert, adhibitis dumtaxat cæremoniis ad ejus valorem requisitis propter urgentem necessitatem; unde et minister quoque necessitatis appellatur*. His notatis sit.

---

(1) Vid. Tournely q. 7. de Baptismo art. V. Frassen. ibid. Disp. I. art. I. q. I.

PROPOSITIO I.

Quilibet homo viator, rationis compos, modo debitam materiam, et formam adhibeat, valide Baptismi Sacramentum administrat; et si urget necessitas etiam licite.

§. 218. Prob. ex Conciliis. In Concilio Lateranensi sub Innocentio III. ita statutum legitur (Cap. firmiter.): *Sacramentum Baptismi . . . . tam parvulis, quam adultis, in forma Ecclesiæ, a quocumque rite collatum proficit ad salutem.* In Concilio autem Florentino (In Decreto Eugenii.), hæc de Ministro Baptismi scripta inveniuntur: *Minister est Sacerdos cui ex officio competit baptizare: in causa autem necessitatis, non solum Sacerdos, vel Diaconus: sed etiam laicus, et mulier, imo etiam Paganus, et Hæreticus baptizare potest; dummodo formam servet Ecclesiæ, et facere intendit, quod facit Ecclesia.* Ergo etc. (1).

§. 219. Dices 1. Christus dedit Apostolis, hoc est Episcopis, et Sacerdotibus potestatem docendi et baptizandi; Ergo præter Episcopos, et Sacerdotes, nullus potest baptizare.

§. 220. R. Christus dedit quidem Apostolis, et consequenter Episcopis, et Sacerdotibus ut valide, licite, et publice atque solemniter baptizarent; at per hoc non vetuit, Baptismum in casu urgentis necessitatis conferri ab alio quocumque. Et quomodo vetare voluit, si ipse permisit eosdem Apostolos, etiam publice baptizare ante suam passionem, licet ipsi non essent Sacerdotes? (§. 204.).

§. 221. Dices II. In Concilio IV. Carthaginensi

---

(1) Vide Tournely de Bapt. q. III. art. II. Frassen ibid. q. I. Art. 11.

(Cap. IV.) habetur: *Mulier quamvis docta, et Sancta viros in conventu docere, vel aliquos baptizare non præsumat*; Ergo etc.

§. 222. R. Ex verbis ipsis Concilii, satis patet, illud non loqui de Baptismo, qui privatim confertur et in casu necessitatis, sed de baptismo, qui administratur solemniter, et *in conventu*; idque ut petulantiam, reprimeret, et audaciam mulierum Marcionistarum, que officium baptizandi, etiam publice sibi vindicabant. Cæterum laudata verba Concilii, ad summum illicitum, non vero nullum baptismum a mulieribus collatum declarant. Unde in Concilio Carthaginensi IV. sic Legitur: *Mulier baptizare non præsumat, nisi necessitate cogente*. Et Urbanus II. in Epistola ad Vitalem (Cap. *super quibus*. Caussa 30. q. 4.) ait: *Super quibus consuluit nos tua dilectio, hoc videtur nobis ex sententia respondendum, ut et Baptismus sit, si instante necessitate, fœmina puerum in nomine Trinitatis baptizarit*.

PROPOSITIO II.

Extra casum necessitatis, Minister Ordinarius Baptismi est solus Sacerdos Episcopus, vel Curatus, secundarius vero Diaconus.

§. 223. Prob. I. P. ex perpetua SS. Patrum traditione; et ne brevitas violetur, aliquos tantum ex Sanctis Patribus seligamus. Ac I. Clemens Romanus ita loquitur (Lib. III. Constit. Cap. XI.): *Neque reliquis Clericis potestatem baptizandi facimus, ut Lectoribus, Cantoribus, Janitoribus, aut Ministris, nisi tantum Episcopis et Presbyteris, ministrantibus Diaconis*. II. S. Augustinus (Lib. III. de Bapt. Cap. XVIII.) sic scribit: *Nonnisi in Ecclesia Præpositis et in Evangelica Lege, ac Dominica Oratione fundatis licet baptizare*. III. S. Hieronymus inquit (Dia-

logo adver. Luciferian.): *Sine Episcopi jussione, neque Presbyter; neque Diaconus jus habet baptizandi.* Similiter alii Patres passim loquuntur; unde Eugenius IV. hunc edidit Decretum (In Concil. Florent.): *Minister hujus Sacramenti est Sacerdos, cui ex Officio competit baptizare.* Ergo etc.

§. 224. Prob. II. P. Nam constat ex Scripturis S. Philippum Diaconum baptizasse Simonem Magum (Actorum Cap. VIII. v. 13., etc. n. 38.), et Eunuchum Candacis Reginae; Ergo saltem secundarii Ministri baptismatis dicendi sunt Diaconi.

Dices. Diaconi officium proprium est ministrare baptismum; quando enim ordinantur, Episcopus ait eis, *Cogitate magnopere ad quantum gradum Ecclesiæ ascenditis: Diaconum enim oportet ministrare ad altare, baptizare, praedicare*; Ergo Diaconus est minister ordinarius Baptismi.

§. 225. R. Officium quidem Diaconi dicitur esse baptizare, at in necessitate, et ex permissione Episcopi, vel Curati; sunt nempe Diaconi Ministri Baptismi, *sed* secundarii. Hinc legitur in Catechismo Romano (P. II. §. 22.): *Secundum Ministrorum locum obtinent Diaconi, quibus sine Episcopi, aut Sacerdotis concessione non licere hoc Sacramentum administrare, plurima SS. Patrum decreta testantur.*

CAPUT V.

De Baptismi necessitate.

§. 226. *Animad.* Necessitas, quod hic spectat, duplex distinguitur, alia namque quae dicitur *medii*, alia *præcepti*; et utraque vel dicitur *in re*, vel *in voto*.

§. 227. *Def:* 1. *Necessitas medii est illa, qua aliquid ita est medium ad finem consequendum, ut eo etiam inculpabiliter ablato, finis consequutio non ha-*

beatur; Hac necessitate necessaria est, Ex gr:, Fides ut Deo placeamus: dicente Apostolo (Heb: XI. v. 6.) *Sine fide impossibile est placere Deo.*

§. 228. *Def.* 2. *Necessitas præcepti dicitur illa qua aliquid dicitur necessarium ad finem consequendum, solum quia praecepto tenemur ad illud ponendum si volumus finem consequi; adeo ut si inculpabiliter omitti contigerit, finis nihilominus assequatur*; talis est obligatio praeceptorum Legis sive divinæ, sive Ecclesiasticæ, quæ scilicet solum ex præcepto vim habent obligandi.

§. 229. *Def*: 3. *Necessarium necessitate medii* in re *dicitur illud, quod in se, et realiter adhibendum est ad salutem consequendam, ita ut nihil sit, quod ejus vices suppleat*; talis est gratia sanctificans, respectu omnium.

§. 230. *Def*· 4. *Necessarium necessitate medii* in voto *illud dicitur, quod necessario debet adhiberi vel secundum se, vel in ejus defectum, secundum aliquid, ejus desiderium continens, et ejus vicem tenens propter suam quamdam eminentiam, quod tamen salutem non confert, nisi intuitu illius, cujus vicem tenet, et cujus votum seu desiderium vel explicitum, vel implicitum continet*· Jam vero sit ne Baptismus necessarius, et quo pacto, adest

Dissidium Catholicos inter, et Hæreticos.

§. 231. **Pelagiani peccatum originale negantes, negarunt pariter Baptismi necessitatem ad vitam eternam consequendam, et solum ad Regni Cælestis assequutionem requiri dixerunt, distinguentes inter vitam æternam et Regnum Cælorum. Waldenses eo dementiæ devenerunt, ut effutirent, Baptismum sive adultis, sive parvulis inutilem prorsus esse. Idipsum fecerunt Wiclefus, Zuinglius, atque Bucerus. Calvinus, Baptismum infantibus ex parentibus fidelibus genitis**

inutilem esse adseruit, hac ductus ratione, quod prædicti infantes, ab utero materno in filios Dei adoptentur, et non imputetur eis peccatum Originale. Calvino Henricus Bulfingerus subscripsit, cum hoc solo discrimine, quod Calvinus actualem fidem, et sanctitatem in parentibus requisierit, ipsi vero satis fuit quod illi aliquando fidem, et sanctitatem habuerint. Cajetanus docuit, filios fidelium, quibus per baptismum subveniri non potest, ex Lege Dei ordinaria, parentum votis, ac præcibus salvari posse. Sed hæc sententia jussu S. Pii Papæ V. in nova editione Romana, ab operibus Cajetani, veluti intoleranda, expuncta fuit. Gerson tandem, Gabriel, atque Durandus existimant, pueros istiusmodi, in necessitate, qua non possit eis de Baptismo provideri, salvari quidem posse votis, et præcibus parentum, ast solum ex Lege Dei extraordinaria. Contra quos, et pro necessitate Baptismi stant Theologi omnes, cum quibus et nos. Unde sit.

PROPOSITIO

Baptismus, extra casum Martyrii, est omnibus omnino hominibus tam adultis, quam parvulis ad satem necessarius necessitate medii, sive in re, sive in voto.

§. 232. Prob: 1. Ex Scripturis. Christus Dominus apud S. Joannem (Cap: III. v. 5.) ita dixit Nicodemo; *Nisi quis renatus fuerit ex aquæ, et Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei*; Atqui hæc verba omnes omnino homines complectuntur sive parvuli sint, sive adulti; et nullum, quicumque sit, excipiunt; Ergo etc.

§. 233. Prob: II. ex Patribus. S. Ambrosius (Lib: II. de Abraham Cap: 11.) proferens laudata Scripturæ verba: *Nisi* etc: (§. 232.) subdit: « » Utique nullum excipit, non infantem, non ali-

» qua præventum necessitate ». S. Basilius (Epist : 28. ad S. Hieronym :) sic ait : « Quisquis dixerit, » quod in Christo vivificabuntur etiam parvuli, qui » sine Sacramenti ejus participatione de vita exeunt, » hic profecto et contra Apostolicam prædicationem » venit, et totam condemnat Ecclesiam : ubi propterea » cum baptizandis parvulis festinatur, et curritur, » sine dubio creditur aliter eos in Christo vivificari » non posse ». Tandem S. Augustinus (Lib : I. de peccat : merit :, et remis : C. 18.) ita scribit : « » Quis Christianorum ferat cum dicitur ad æternam » salutem posse quemquam pervenire si non rena- » scetur in Christo, quod per baptismum fieri voluit ».

§. 234. Prob : III. Concilium Malevitanum (Can: 2.), ita statuit : *Placuit ut quicumque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat . . . . anathema sit*. Florentinum (in instr. Armen :) hoc modo se explicat : *Primum omnium Sacramentorum locum tenet sanctum Baptisma, quod vitæ spiritualis janua sit, per ipsum enim membra Christi de corpore efficiuntur Ecclesiæ : et cum per primum hominem mors introierit in universos, nisi ex aqua, et spiritu renascamur, non possumus, ut inquit Veritas in Regnum Coelorum introire*. Tandem Tridentina Synodus, paucis rem totam conficit (Sess : VII. Can : 5.) dicens : *Si quis dixerit, Baptismum liberum esse, hoc est non necessarium ad salutem ; anathema sit*.

§. 235. Prob : IV. hac theologica ratione. Baptismi Sacramentum est a Christo Domino institutum tamquam singulare medium ad peccatum originale remittendum ; Ergo illis omnibus est necessarium qui originalis peccati sunt rei ; Atqui omnes homines qui naturali propagatione ex Adamo nascuntur, demta sola Virgine Deipara (§. 555. T. III.), sive sint adulti, sive parvuli, peccatum originale contrahunt (§. 533. T. cj :) ; Ergo etc.

Solvuntur objectiones.

§. 236. *Objic:* 1. Baptismum necessarium necessitate medii ad salutem omnibus probatur ex eo, quod dixerit Christus Nicodemo (Joann: III.): *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto non potest introire in Regnum Dei;* Atqui hoc testimonium id non probat; Ergo etc: Prob: min: Laudatum testimonium non probat, nisi Domini præceptum suscipiendi Baptismum; Ergo etc.

§. 237. R. dist: antec: Laudatum etc: quoad adultos, conc:, quoad infantes etiam, nego antec; Ergo etc; n. consm. Baptismus duplici necessitate necessarius est, necessitate nempe tum medii cum præcepti pro adultis; pro parvulis vero, qui præcepti capaces non sunt, necessarius dicitur necessitate solum medii ad salutem; quia eo ablato, nullum eis superest remedium, quo ab originali peccato liberentur, et salutem consequantur aeternam.

§. 238. *Contra.* Atqui in Baptismi institutione sola praecepti necessitas apparet, omni medii necessitate sublata; Ergo n. r. Prob: subsm. Si Baptismi necessitas, fuisset necessitas medii, frustra Christus praeceptum dedisset de Baptismo suscipiendo; Atqui praeceptum dedit; Ergo etc.

§. 239. R. Ex quo Christus dederit præceptum suscipiendi Baptismum, non sequitur, ipsum omnibus necessitate medii ad salutem non esse. Nam sive Chistus dedisset illud praeceptum, sive non dedisset, cum Baptismus tamquam unicum medium, et singulare remedium ad originale peccatum tollendum et vitam aeternam hominibus illum suscipientibus conferendam sit institutus, nullus qui peccato originali est inquinatus, sine eo salvari potest; et consequenter, Baptismus semper necessarius necessitate medii fuisset. Quod si ad medii necessitatem pro adultis, necessitas quoque praecepti adjuncta est; in hoc com-

mendatur Jesu Christi amor, et studium in hominum salute procuranda, qui, ne quis a suscipiendo Baptismo, prætextu aliquo, excusatione, vel errore distraheretur, sicque fructum sanguinis sui non perciperet, in manifestanda omnibus gentibus, de Baptismo lege, praeceptum adjunxit, ut sic verbo suo optemperarent. mortemque evaderent aeternam

§. 240. *Contra.* Atqui nullo pacto in institutione Baptismi, hujusmodi necessitas medii apparet; Ergo n. r. Prob: subsm. Certum est ex Christi Domini verbis (Marci ult: v. 16.): *Qui crediderit, et baptizatus fuerit salvus erit; qui vero non crediderit condemnabitur*, Baptismum simul cum fide salvare, absque fide nihil prodesse; Sed infantes, pro quibus necessitas medii, quoad Baptismum adstruitur, credere non possunt; Ergo eis Basptismus nihil prodest; adeoque etc.

§. 241. R. dist. maj: Si sermo sit de Adultis, de quibus proprie sunt laudata Christi verba, conc:, si de parvulis, n. maj; Sed etc., conc: min:; ergo etc., n. utramque consam. Saepius dictum est, in adultis, inter alias dispositiones ad suscipienda Sacramenta, fidem reperiri debere; non sic autem in parvulis; Unde ad rem Tridentina Synodus (Sess: VII. Can: 13.) ita statuit; *Si quis dixerit parvulis, eo quod actum credendi non habent, suscepto Baptismo inter fideles computandos non esse, ac propterea cum ad annos discretionis pervenerint esse rebaptizandos; aut praestaret omitti eorum baptisma, quam eos non actu proprio eredentes baptizari in sola fide Ecclesiae, anathema sit.*

CAPUT VI.

De Baptismi Subjecto.

§. 242. *Animad.* Baptismi subjectum esse hominem viatorem, nemo sui compos negare audebit; an autem omnis homo viator cujuscumque sit aetatis, conditionis, et Religionis licite semper, et valide possit baptizari, certum non est apud omnes. Unde

Variae sunt Auctorum sententiae.

§. 243. Sane Apostolici, Petrobrussiani, Cathari, Anabaptistae, aliique non pauci Haeretici docuerunt, invalidum esse Baptismum pueris ante usum rationis collatum. Calvinus asserere non dubitavit, fidelium infantes non indigere baptismo, utpote qui in manis utero jam fuerint justificati. Theodorus Bæza cum Recensioribus Novatoribus e contra sustinet, solos fidelium filios, non vero Infidelium, Baptismi beneficio afficiendos esse. Putarunt nonnulli inter Catholicos, Baptismum ante octavum diem a nativitate non debere parvulis conferri; existimarunt alii, extra casum necessitatis, Baptismum usque ad triennium diferri posse. Opinati sunt alii, filios Infidelium etiam invitis parentibus baptizari posse; alii contra senserunt. Nostra sententia ex sequentibus patebit.

PROPOSITIO.

Baptismi Sacramentum valide administratur sive parvulis, sive adultis; sive filiis fidelium, sive filiis Infidelium.

§. 244. Prob. 1. Nam 1. Baptismus est aeque omnibus ad salutem necessarius; *Nisi* enim *quis rena-*

tus fuerit ex acqua et Spiritus Sancto, non potest introire in regnum Dei; Ergo valide administratur etc. 2. Quando Christus Baptismi administrationem praecepit, parvulos non exclusit, nec Infidelium filios; quippe ad infideles, suos discipulos mittebat, cum dixit eis (Matth. ult.): *Docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine Patris etc.* 3. Apostoli integras familias aliquando baptizarunt: Ita Lydia purpuraria, in Actibus Apostolorum, dicitur baptizata cum tota sua Domo (Actorum Cap. XVI. v. 15. 33.); Custos pariter carceris Macedoniae, qui vinctos habebat Paulum et Silam, eumdem obtinuit beneficium; et Paulus ipse testatur, se domum Stephanae baptizasse (I. Corinth. Cap. XVI. v. 15.); non ergo baptizarunt solos adultos, sed et parvulos, et infantes; Ergo Baptismi Sacramentum etc.

§. 245. Prob: II. Traditione Patrum. Irenæus (Lib. 2. adv: Hær: Cap. 22. alias 39.) « Dominus: *scribit*, omnes venit per semetipsum salvare: » omnes inquam, qui per eum renascuntur in Deum » infantes et parvulos, et pueros, et juvenes, et seniores ». Origenes (in Cap: VI. Epist: ad Rom:): « Ecclesia, inquit, ab Apostolis traditione accepit, » etiam parvulis dare Baptismum. Sciebant enim illi » quibus mysteriorum secreta commissa sunt divinorum, quia essent et omnibus germanæ sordes peccati, quæ per aquam, et spiritum ablui deberent. » S. Joannes Chrysostomus (Hom: ad Neoph.) » Hac » de causa, scribit, etiam infantulos baptizamus, ut » non sint coinquinati peccato, ut eis addatur sanctitas, justitia, adoptio, hæreditas, fraternitas » Christi, ut ejus membra sint omnes, ut spiritus » habitatio fiant ». Idipsum confirmat S. Ambrosius (Lib: II. de Abrah: c. II. n. 81.), dicens, « Nec » senex proselytus, nec infans vernaculus excipitur. » quia omnis ætas peccato obnoxia, et ideo omnis ætas » Sacramento idonea «. Tandem S. Augustinus (Serm.

X. de verbis Apostoli) ita inquit : « Quid de parvulis pueris, si ex Adam ægroti? Nam et ipsi portantur ad Ecclesiam, et si pedibus illud currere » non possunt, alienis pedibus currunt, ut sanentur: » accomodat illis mater Ecclesia aliorum pedes ut veniant, aliorum cor ut credant, aliorum linguam ut » fateantur, ut quoniam qui ægri sunt alio peccante » prægravantur, sic cum hi sani sunt alio pro eis confirmante solventur. Nemo ergo vobis susurret doctrinas alienas. Hoc Ecclesia semper habuit, semper tenuit, hoc a majorum fide percepit, hoc usque » in finem perseveranter custodit ». Ergo etc.

§. 246. Dices. Praecipiens Christus Baptismi Sacramentum, jussit Apostolos, prius docere suscipientes, postea baptizare : *Docete omnes gentes* : *baptizantes eos* ; Atqui infantes non sunt capaces doctrinae ; Ergo baptizari valide non possunt ; Adeoque etc.

§. 247. R. Quando Christus praecepit Apostolis, ut euntes in universum Mundum docerent omnes gentes, et baptizarent, cum nulli tunc adulti baptizati invenirentur, et adultis quoque baptismus administrandus erat, voluit Christus methodum praescribere administrandi Baptismum ; et quoniam doctrina fidei in adulto necessaria erat : cum nemo credat nisi fides a praedicante ei proponatur, praescripsit ut prius docerent, postea baptizarent. Hoc itaque de adultis intelligendum est, non de parvulis, qui licet doctrinæ actualis non sint capaces, et consequenter, actum fidei elicere non valeant, optime tamen in fide Ecclesiae baptizantur ; quemadmodum ex Tridentina Synodo antea (§. 241.) exposuimus. (1).

Quaeres. *Quandonam infantes baptizari debeant?*

§. 248. R. Cum primum id fieri potest absque

---

(1) Vid. Antoinè De Baptismo Cap. III. Art. III. Tournely de Bapt. q. III. Art. III.

infantis periculo. Nam cum infantibus originali labe inquinatis, Baptismus sit singulare lavacrum, quo, ab ea mundati, filii Dei renascuntur, et divinae consortes naturae effecti, Regni Caelestis haeredes evadunt, grave piaculum profecto esset, absque necessitate, eos tanto bono privare, et periculo aeternae perditionis exponere. Quare in Gerundensi Concilio Anno 517. ita statutum (Can: V.) legitur: *De parvulis, qui nuper materno utero editi sunt, placuit constitui, ut si infirmi, ut assolet fuerint et lac maternum non appetunt, etiam eadem die, qua nati sunt (si oblati fuerint) baptizentur.*

Quaeres. *An liceat infantes adhuc in matris utero detentos baptizare?*

§. 249. R. negative. *Nam Sacramentum Baptismi*, ait S. Augustinus (Lib. de pecc. merit. et remis. Cap. 27.), *profecto Sacramentum regenerationis est. Quocirca sicut homo, qui non vixerit, mori non potest; et qui mortuus non fuerit resurgere non potest; ita qui natus non fuerit, renasci non potest.*

Quaeres. *An liceat Matrem de vita periclitantem exsecare, ne infans sine Baptismo moriatur?*

§. 250. R. negative; *Quia*, ut ait S. Thomas, (2. 2. q. 68. Art. XI. ad 3.), *non sunt facienda mala, ut eveniant bona* (Roman. Cap. III. v. 8.); *et ideo non debet homo occidere matrem, ut baptizet puerum: si tamen mater mortua fuerit, vivente prole in utero, debet aperiri ut puer baptizetur.*

Quaeres. *An liceat filios Haereticorum, invitis parentibus baptizare?*

§. 251. R. affirm. Nam sicuti Ecclesia jus habet cogendi parentes ad fidem servandam, et eos etiam poena mortis afficiendi, si sint obstinati, et pertinaces, a fortiori jus habet eorum filios baptizandi.

Quaeres. *An liceat filios Infidelium, invitis parentibus baptizare?*

§. 252. R. *Ordinarie loquendo* non licet. Nam id expresse prohibet Ecclesia, ut patet ex Concilio Toletano IV. (Cap. XV.), in quo legitur: *Praecipit Sancta Synodus nemini deinceps ad credendum vim inferri; non enim tales inviti salvandi sunt, sed volentes, et integra sit forma justitiæ.* Unde Julius III., baptizantibus filios Infidelium, invitis parentibus, poenam imposuit suspensionis: et mulctam 100. ducatorum. Et recte quidem; nam Infidelium infantes ante usum rationis, jure naturali, sunt sub cura parentum, a qua absque injuria, et injustitia nequeunt subtrahi; Deinde *esset etiam periculosum*, ait Angelicus Doctor (2. 2. q. X. Art. 12.), *taliter filios Infidelium baptizare, quia de facili ad infidelitatem redirent propter naturalem affectionem ad parentes, et ideo non habet hoc Ecclesiae consuetudo, quod filii Infidelium, invitis parentibus, baptizentur.*

§. 253. Diximus *ordinarie loquendo;* quia plures dantur casus, in quibus tales infantes baptizari possunt licite. Et primo in mortis periculo, ita enim infantium saluti prospicitur absque injuria parentum, et sine periculo subversionis; Hinc S. Augustinus (Lib: de grat:, et lib: arb: C. 22.) inquit: « Ali- » quando filiis infidelium praestatur haec gratia (sc. » ut baptizentur). cum, occulta Dei providentia in » manus piorum quomodocumque perveniunt ». 2. Si parentes Infideles sint manicipia Christianorum; quia sicut Dominus jus habet in prolem mancipii, et potest eam vendere et donare, ita et a cura suorum parentum subtrahere, curare ut baptizetur, et in Sancta Christiana Religione educetur; 3. baptizari possunt Infidelium pueri si alter parentum consenserit, licet alter resistat, quia in hac caussa plus prævalere debet consensus parentis in favorem Religionis, et pueri utilitatem, quam parentis dissensus. 4. licite baptizari possunt Filii Infidelium invitis parentibus, si rationis

compotes, Baptismum petant; et 5. tandem, ex Scoti sententia, infantes infidelium illorum licite baptizari possunt, qui Principibus Christianis Politicis subjiciuntur (1).

Quæres. *An Infidelium Filii, invitis parentibus, saltem valide baptizentur; et quid agendum cum parvulis sic baptizatis?*

§. 254. R. 1. affirm. (§. 244.): *Non enim scriptum est*, optime, et ad rem S. Augustinus (Epist. 23. ad Bonifac.): *Nisi quis renatus fuerit ex parentum voluntate, aut ex offerentium, vel ministrantium fide: sed nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu.*

§. 255. R. 2. Si fieri potest ut infans sub cura parentum vivens, absque gravi periculo, usque dum ad rationis usum perveniat provideri possit de aliquo præceptore, qui in Christiana fide illum sufficienter instruat, provideatur; sin autem, maneat quidem apud Parentes, sed adepto rationis usu, separetur a parentibus, quia illis amplius non subest, quoad ea quæ ad justificationem spectant.

Quæres. *Quænam dispositiones requirantur in adulto ad Baptismum, valide, et licite recipiendum?*

§. 256. R. Præter ea quae alibi (§. 166.) dicta sunt ad valide recipienda Sacramenta, tria in adulto prærequiruntur, ut licite Baptismi Sacramentum recipiat; unum scilicet ex parte intellectus, et est *fides actualis, et explicita* præcipuorum saltem mysteriorum Fidei Christianae, Fidei nempe supernaturalis, quae Dei donum est, duo alia ex parte voluntatis; et primum est vel dolor, et quidem ex motivo supernaturali, de peccatis actualibus, si habeat; vel propositum, totam Christianam Legem servandi, si habeat solum originale peccatum; alterum

(1) Vid. Frassen loc. cit. de Bapt. Tournely de Bapt: Art. III. pag. 134. et seq.

est amor Dei inchoatus. Et primum quidem clare patet ex Scripturis: Christus Dominus namque sic ait (Marci ult. v. 16.): *Qui crediderit, et baptizatus fuerit salvus erit; qui non crediderit condemnabitur*; Quare S. Philippus Diaconus, petenti Eunucho Reginæ Candacis, ut sibi Baptismus ministraretur, respondit (Actorum Cap. VIII. v. 37.): *Si credis licet*; cui cum dixisset Eunuchus, *Credo*, statim Philippus baptizavit eum. Secundum etiam patet 1. ex illo S. Petri ad Judæos (Ib. Cap. II. v. 38.): *Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum, in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum, et accipietis donum Spiritus Sancti*: 2. ex Concilio Tridentino (Sess. XIV. Cap. IX.), in quo sic legitur: *Fuit quidem pœnitentia universis hominibus, qui se mortali peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam, et justitiam assequendam necessaria: illis etiam, qui Baptismi Sacramento ablui petivissent, ut perversitate abjecta, et emendata tantam Dei offensionem cum peccati odio, et pio animi dolore detestarentur*. Tertium tandem satis ostendit S. Joannes dicens (Epist. I. Cap. III. v. 14.): *Qui non diligit manet in morte*; hoc est, justificationem non consequitur.

CAPUT VII.

De Baptismi effectibus.

§. 257. *Animad.* Permulti a Sanctis Ecclesiæ Patribus, Augustino præsertim (Serm. 163. de Temp.), et Chrysostomo (Homil. ad Neophitos.), Baptismi effectus recensetur; Verum ad duos facile communiter reducuntur; ad *gratiam* nempe, atque *Characterem*, repugnantibus licet Hæreticis, qui aut vim nullam Baptimo inesse arbitrati sunt, aut peccata, per Bap-

tismum non penitus aboleri, aut tolli, sed tantum, aut tegi, aut non imputari impie effutiuntur. Sit propterea.

PROPOSITIO I.

Per Baptismi Sacramentum gratia sanctificans baptizato confertur.

§. 258. Prob. Apostolus ad Corinthios scribens, ait (Cap. VI: v. 11.): *Abluti estis; sanctificati estis, justificati estis;* et ad Titum (Cap. III. v. 5.): *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, et rennovationis Spiritus Sancti*; Atqui homo justificatur, salvusque efficitur per intrinsecam infusionem gratiae inhærentis, hoc est sanctificantis (§. 205. T. IV.); Ergo etc.

PROPOSITIO II.

Baptismus remittit omnem culpam, et pœnam.

§. 259. Prob. ex Scripturis. In Actis Apostolorum legitur (Cap. II. v. 38.): *Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum.* In quorum autem peccatorum remissionem? Originalis tantum, an venialium, aut omnium etiam mortalium? Omnium certe peccatorum, cujuscumque generis fuerint; quia *Sanguis Jesu Christi*, qui super animas nostras in Baptismate effunditur, ait S. Joannes (Epist. I. Joan. Cap. I. v. 8.), *mundat nos ab omni peccato*; Ut proinde (Roman. Cap. VIII. v. 1.): *Nihil amplius damnationis sit in iis, qui sunt in Christo Jesu.* Quare Apostolus ad Corinthios scribens, postquam varia scelerum genera enumerasset, quibus se inquinaverant Corinthii, adfirmat, eos illis sceleribus non esse amplius maculatos: *Et haec*

quidem fuistis (Cap. VI. v. 11.) ; *sed*, per susceptionem Baptismi, *abluti estis*, *sanctificati estis*; Ergo etc. Atque hæc veritas unanimi SS. Patrum testimonio comprobatur, necnon Concilii Florentini auctoritate statuitur, in quo ita expresse habetur: *Hujus Sacramenti effectus est remissio omnis culpæ originalis, et actualis, omnis quoque poenæ, quæ pro ipsa culpa debetur.* Unde Tridentina Synodus hunc edidit Canonem (Sess. V. Can. 5.): *Si quis per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in Baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit non tolli totum id quod verum, et propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantum radi, aut non imputari, anathema sit* (1).

§. 260. Dices Concupiscentia, ex Apostolo est peccatum (Roman. Cap. VII. v. 20.); Sed hæc in baptizatis remanet; Ergo falsa propositio.

§. 261. R. cum Patribus Concilii Tridentini (2): *Manere in baptizatis concupiscentiam, vel fomitem, hæc Sancta Synodus fatetur, et sentit; quæ cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, et viriliter per Jesu Christi gratiam repugnantibus, non valet: quinimo qui legitime certaverit coronabitur. Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, Synodus declarat, Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod vere, et proprie in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, et ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit, anathema sit.*

§. 262. Dices 2. Post susceptum Baptisma remanent adhuc pœnæ peccati originalis, veluti morbi, fames, sitis etc., imo et mors; Ergo per Baptismum non tollitur etiam omnis pœna.

---

(1) Vid. Frassen de effect. Baptismi Tournely ibid.
(2) Sess. V. in Decreto de peccato originali n. 5.

§. 263. R. Per Baptismum solvitur quidem omnis poena tum æterna, cum temporalis, quae per modum satisfactionis assumitur; unde Ecclesia nullam consuevit recenter baptizatis imponere satisfactionem pro peccatis ante baptismum commissis (Ex Florentino in Decreto unionis.); verumtamen poenalitates non tolluntur, quae per nativitatem contrahuntur. Neque mirum: Nam « hoc ideo tradunt fieri viri Sancti, *Scribit Magister sententiarum* (In IV. » Dist. IV.), quia si a poena homines per Baptis» tismum liberarentur, ipsam putarent Baptismi præ» mium, non aeternum regnum. Ideo soluto reatu » peccati, temporalis tamen pœna manet, ut sit Fi» dei, et certandi materia, et vincendi occasio, qui » non vinceret si non pugnaret; nec pugnaret si in » Baptismo fieret immortalis » (1).

PROPOSITIO III.

Per Baptismi Sacramentum imprimitur character unde iterari nequit.

§. 264. Prob. Nam quod Ecclesia de fide tenendum esse asserit, omnino credere debemus; Atqui Ecclesia in Conciliis adunata, statuit per Baptismi Sacramentum characterem imprimi, eumque propterea iterari non posse; Ergo ita credere debemus. Prob. min. Et quod ad characterem spectat, jam supra (§. 125.) ostensum est; Quoad autem iterari non possit Baptismi Sacramentum, jam dixerat Apostolus ad Ephesios (Cap. IV.): *Unus Dominus, una Fides unum Baptisma;* et Tridentina Synodus his verbis confirmat (Sess. VIII. Can. 11.): *si quis dixerit,*

---

(1) Vid. S. Bonaventura in IV. D. IV. Q. I. a. 1. n. 7.

verum, *et collatum Baptismum iterandum esse illi*, *qui apud infideles Fidem Christi negaverit*, *cum ad pœnitentiam convertitur*, *anathema sit.* Neque deest pro hac re ratio ipsa theologica. Nam per Baptismum homo dicitur *renasci*, *regenerari* veluti infans modo genitus; Igitur sicuti una est generatio, ita una est regeneratio, unus Baptismus. Deinde Baptismus, Christi mortem repræsentat: *Qui baptizati sunt*, ait Apostolus *in morte ipsius baptizati sunt* (Epist. I. ad Roman. Cap. VI. v. 3.): Sed Christus *semel mortuus est*; Ergo et semel quis baptizari potest. Tandem Baptismus ad delendum peccatum originale et actualia, si extant institutus est; Sed peccatum originale per unum Baptismum deletum, non amplius reviviscit; et pro peccatis actualibus, quæ post Baptismum committuntur, instituta est Pœnitentia, tamquam secunda post naufragium tabula; Ergo etc.

Quæres. *Utrum Baptismi votum*, *et Martyrium*, *effectum veri Baptismatis operentur?*

§. 265. R. affirm. Et quod attinet ad Baptismi votum, docet Tridentina Synodus (Sess. VI. Cap. IV.): *post Evangelium promulgatum*, *nunquam fieri translationem a statu veteris Adam ad statum gratiæ sine lavacro regenerationis*, *aut ejus voto*; supponit ergo Synodus, Baptismum flaminis, seu perfectam charitatem, et cordis contritionem, votum includens Baptismi fluminis, supplere istius defectum. Et sane, per Ezechielem jam dixerat Dominus (Cap. XVIII. v. 21.): *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis . . . . vita vivet*, *et non morietur*: Imo Christus ipse apud S. Joannem, perfectæ charitatis vim commendans, inquit (Cap. XIV. v. 21.): *Qui diligit me diligetur a Patre meo*, *et ego diligam eum.* Ergo etc. Quod vero ad Martyrium attinet, res clarior est; Nam Jesus Christus apud Matthæum ita testatur (Cap. X. v. 32. 39.): *Omnis*, *qui confitebitur me coram hominibus*, *con-*

fitebor et ego eum coram Patre meo, qui in Cœlis est . . . . . Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam. Hinc S. Augustinus (Lib. XIII. de Civit. Dei Cap. VII.) : « Quicumque non per- » cepto, *inquit*, regenerationis lavacro, pro Christi » confessione moriuntur, tantum eis valet ad dimit- » tenda peccata, quantum si abluerentur Sacro fonte Baptismatis. Qui enim dixit : *Nisi quis renatus fue-* » *rit ex aqua etc.*, alia sententia istos fecit expertes, » ubi non minus generaliter dixit : *Qui me confessus* » *fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum co-* » *ram Patre meo, qui in Cœlis est*, . et alio loco, » *qui perdiderit animam suam propter me inveniet* » *eam ;* hinc est, quod scriptum est : *Pretiosa in* » *conspectu Domini mors Sanctorum ejus.* Quid enim » pretiosius quam mors, pro qua fit etiam, ut omnia » delicta dimittantur ». Ergo etc. (1).

Quæres. *Num Martyrium producat gratiam ex opere operato?*

§. 266. R. affirm. Nam » effusio sanguinis prop- » ter Christum, *ait Angelicus Doctor* (2. 2. q. » 124. art. 3. ad 1.), vicem gerit Baptismatis. Unde » sicut in pueris baptizatis per gratiam baptismalem » meritum Christi operatur ad gloriam obtinendam, » ita et in occisis propter Christum, meritum marty- » rii Christi operatur ad palmam martyrii consequen- » dam » : *Quare etiam infantes illos*, ait S. Augustinus (Lib. III. de Libero arb. Cap. 23.), *qui cum Dominus Jesus Christus necandus quæreretur, occisi sunt, in honorem Martyrum receptos commendat Ecclesia. Præstitit namque eis* Christus, sequitur idem S. Doctor alibi (Tract. de Symb. Cap.

(1) Vid. Tournely de Sac. Baptismi Q. II. Art. II. l' Herminier de Bapt. Cap. IX. Henno ibid. Disp. Antoine Ibid. Cap. II. Art. IV.

IV.), *ut pro Christo morerentur*; *præstitit ut suo sanguine ab originali peccato abluerentur. Nati sunt ad mortem, sed continuo eos mors reddidit vitae.* Quod sane non esset, si Martyrium gratiam non produceret ex opere operato.

Quæres. *Quænam cæremoniæ, ex Ecclesiæ præcepto servandæ sunt in Baptismo?*

§. 267. R. Cæremoniæ in Baptismo solemni, ex præcepto Ecclesiæ servandæ aliae praecedunt, aliae comitantur, aliae sequuntur Baptismum. Quae præcedunt sunt sequentes. 1. Est aqua cum chrismate consecrata in Sabbato Sancto, vel vigilia Pentecosten, et in loco apto decenter servata; 2. oblatio baptizandi ante januas Ecclesiæ; 3. Nominis impositio, quod sit alicujus Sancti; 4. Cathechismus; 5. Exorcismus qui verbo fit, atque exsufflatione; 6. Crucis obsignatio in fronte, oculis, pectore, auribus, et humeris; 7. Manus impositio; 8. Salis immissio in os baptizandi; et 9. Aurium, ac narium baptizandi cum saliva linitio. Quæ autem comitantur, sunt sequentes; 1. Ducitur baptizandus ad fontem, et ter interrogatur, utrum abrenuntiet Diabolo, ejusque operibus, ac pompis; 2. obsignatur baptizandus oleo Sacro in formam Crucis in pectore, et scapulis; 3. Fit a baptizando fidei professio, ubi ipsi, propositis Fidei articulis, respondet per se, vel per Patrinum: *credo*; 4. Ter funditur aqua in caput baptizandi, et simul a Ministro forma baptismi profertur. Quæ tandem sequuntur Baptismum sunt istae; 1. Osculum pacis; 2. Unctio chrismatis in vertice baptizati; 3. Cæreus accensus, qui datur baptizato; 4. vestis candida. Atque hae omnes sunt cæremoniae, quae in solemni Baptismo usui esse solent; et quas tenentur scire omnes, quibus ex officio Baptismi Sacramentum administrare incumbit.

Quaeres. *An in solemni administratione Baptismi adhiberi debeant Patrini?*

§. 268. R. affirmative. Id enim constat ex communi Ecclesiæ praxi, et antiquissima traditione, nec non ex Ritualibus Unde mortaliter peccaret Parochus, si solemniter sine Patrino baptizaret.

Quaeres. *Quinam in Patrinos eligi non possunt?*

§. 269. R. 1. Non baptizati; 2. amentes; 3. Hæretici; 4. publice excommunicati; 5. infames. Isti namque incapaces sunt ad Patrinorum officia adimplenda. Insuper in Patrinos eligere vetitum est, Religiosos omnes, atque Sanctimoniales; ipsorum enim status cum obbligationibus Patrinorum non cohæret. Tandem ab officio Patrini excluditur Pater, et mater infantis, idque ne contrahant inter se cognationem spiritualem.

Quaeres. *Ad quem spectat eligere Patrinum, ad Parentes, nempe, an ad Parochum?*

§. 270. R. ad parentes. Ad Parochum vero spectat, antequam ad conficiendum Baptisma accedat, diligenter a parentibus inquirere quem, vel quos elegerint in patrinos.

Quæres. *Quænam sint Patrinorum officia?*

§. 271. R. Sunt sequentia 1. Baptizandum Parocho præsentare; 2. Pro Baptizando respondere, si ipse nequeat 3. illum tenere dum baptizatur. 4. illum de manu baptizantis suscipere; et 5. illum debite instruere de rebus fidei, et doctrinae Christianæ, si ad id parentes idonei non sint.

Quæres. *Quot numero Patrini adhiberi possint?*

§. 272. R. Nonnisi unus, vel una adhiberi potest; vel ad summum duo, unus nempe masculus, altera fæmina; ita expresse *Sancta Synodus* (Tridentina Sess: 24. de reform: Matrim: Cap: 2.), *statuit, ut unus tantum sive vir, sive mulier juxta Sacrorum Canonum instituta, vel ad summum unus, et una Baptizatum de Baptismo suscipiant. Si Parochi culpa, vel negligentia secus factum fuerit, arbitrio Ordinarii puniantur.*

CAPUT VIII.

De Sacramento Confirmationis.

§. 273. *Def*: 1. *Confirmatio est novæ Legis Sacramentum a Christo Domino institutum, quo baptizatus ab idoneo Ministro, in fronte inungitur chrismate per modum Crucis, et præscripta forma verborum, eique novum robur, et augmentum gratiæ confertur ad fidem constanter profitendam, et contra adversarios viriliter defendendam.*

§. 274. *Schol*: Sacramentum hoc variis nominibus appellari solet; nempe Sacramentum *Chrismatis* et *unctionis* a Chrismate et unctione, quibus administratur, et constat ejus materia; atque ob eamdem caussam dicitur quoque *manus impositio*. Præcipue autem dicitur *Confirmatio*, *quia* ut legitur in Cathechismo Romano (§. 2. v. 17.): *Chrismatis Sacramento adversus omnes carnis, et Diaboli impetus robustiores fiunt (baptizati), et eorum animus fide omnino confirmatur ad confitendum, et glorificandum nomen Domini nostri Jesu Christi, ex quo etiam nomen ipsum inventum esse, nemo dubitat.* Non omnes vero circa eum conveniunt, sed

Diversæ sunt Auctorum sententiae.

§. 275. Et sane Confirmationem esse vere, et proprie Sacramentum sicuti est (§. 268.) descriptum, negarunt olim Novatiani, et Donatistae; Lutherus vero, et Calvinus, duce Wicleffo, nedum hoc Sacramentum abjecerunt, sed et Catholicos subsannarunt, qui eo utuntur. Et Calvinus quidem veritus non est impio ore adserere: *Oleum Confirmationis pollutum diaboli mendacio, abortivam Sacramentorum larvam; atque inter exitiales Satanæ præstigias recensendum esse.* Nec defuerunt quoque ex Catholicis Theologis, qui

dixerint Confirmationem non fuisse immediate a Christo Domino institutam; aut non constare ejus institutionem ex Sacris litteris. Contra quos sit.

PROPOSITIO

Confirmatio est verum novæ Legis Sacramentum.

§. 276. Prob. I. ex Scripturis. In Actibus Apostolorum legitur (Cap: VIII. v. 14.): *Tunc imponebant manus super illos;* idest baptizatos, *et accipiebant Spiritum Sanctum;* et alibi (Cap: XIX. v. 5.): *Cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus super eos.* Ex quibus, en argumentum: Ad constituendum Sacramentum tria praerequiruntur; nempe signum sensibile, gratiae collatio, et Divina institutio; Atqui in Confirmatione; sive illo sacro ritu, ut supra, ab Apostolis usurpato, adest signum sensibile; nempe manuum impositio; gratiæ collatio, conferebatur quippe Spiritus Sanctus; Divina tandem institutio, quia solus Deus potest signo sensibili gratiam adnectere. Ergo Confirmatio etc.

§. 277. Prob. II. Traditione. S. Irenæus (Lib: IV. adv. Hæres. Cap. 38.) ait « Apostolos per ma» nus impositionem dedisse Spiritum Sanctum « Ter» tullianus (Lib: de Resur: Carnis c. 8.) » caro, » inquit, ungitur ut anima consacrètur, caro signatur » ut anima muniatur, caro manus impositione adum» bratur, ut et anima spiritu illuminetur ». S. Cyprianus (Epist: 73. apud Jabajanum) scribit « Apud » nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, Præ» positis Ecclesiae offerantur, et per nostram oratio» nem, et manus impositionem, Spiritum Sanctum con» sequentur, et signaculo Dominico consumentur ». S. Ambrosius (Lib. de init: Cap: 7.), ait: « Re» pete quia accepisti signaculum Spiritale, spiritum » Sapientiae, et intellectus, Spiritum consilii, atque

» virtutis, Spiritum cognitionis, atque pietatis, Spi-
» ritum Sancti timoris; et serva quod accepisti: Si-
» gnavit te Deus Pater, confirmavit te Christus Do-
» minus, et dedit pignus Spiritus in corde tuo, si-
» cut Apostolica lectione didicisti ». Tandem, ut alios taceamus, S. Hieronymus sic ait (In Dialogo contra Luciferianos.) » Non quidem abnuo, hanc esse Ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos, qui longe in minoribus urbibus, per Presbyteros, et Diaconos baptizati sunt, Episcopus ad invocationem Sancti Spiritus manum impositurus excurrat ». Ergo etc.

§. 278. Prob. III. ex Concilio Tridentino, in quo ita statutum habetur. (Sess. VII. Can. 1.) *Si quis dixerit, Confirmationem Baptizatorum otiosam esse cæremoniam, et non potius verum, et proprium Sacramentum; aut olim nihil aliud fuisse, quam catechesim quamdam, qua adolescentiæ proximi, fidei suæ rationem coram Ecclesia exponebant, anathema sit.* Ergo.

Adversariorum objectiones solvuntur.

§. 279. Objic. 1. Nullibi legitur in Scripturis, Jesum Christum instituisse Sacramentum Confirmationis; Ergo etc.

§. 280. R. dist. antec: Nullibi etc. expresse, admitt: antec:, implicite, n. antec.; Ergo etc:; n. consm. Esto concedatur, expresse in Scripturis non haberi, Dominum Jesum Confirmationis Sacramentum instituisse, ex facto autem, et exemplo Apostolorum constat, revera tale Sacramentum fuisse ab ipso institutum. Et sane: Apostoli hanc Confirmationem administrarunt (276.); Ergo vel haec fuit simplex cæremonia; vel verum novae Legis Sacramentum; Atqui simplex cæremonia non fuit, uti supra ostensum est; Ergo fuit Sacramentum; ac proinde a Christo Domino institutum, cum ipse so-

lus sit Auctor Sacramentorum (§. 47.). Caeterum satis patet ex Scripturis, hanc Sacramenti Confirmationis institutionem a Christo factam. Et sane quid innuunt verba illa Jesu abeuntis in Cælum ad Apostolos (Act: I. v. 8.): *Accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti in vos, et eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæa, et Samaria et usque ad ultimum terræ*, nisi Confirmationis Sacramentum, quo roborati, ad praedicandum Evangelium, et ad mala pro nomine Jesu perferenda promptiores, et fortiores redderentur?

§. 281. *Contra.* Atqui nec etiam implicite constat ex Scripturis, Confirmationem esse Sacramentum a Christo Domino institutum; Ergo n r. Prob. subm. Apostoli per illam impositionem manuum non conferebant gratiam sanctificantem, sed gratias gratis datas: uti donum linguarum, gratiam sanitatum etc.; Ergo etc.

§. 282. R. n. ant. Apostoli manuum impositione non conferebant solum gratias gratis datas, sed et gratiam gratum facientem, hoc est sanctificantem. In primordio namque Ecclesiae, quoad utrumque effectum, permanentem nempe, et transeuntem, gratiam scilicet sanctificantem, et gratiam gratis datam, donum nempe linguarum, Spiritus Sanctus conferebatur; nunc vero solum gratia sanctificans confertur. Ita disertis verbis testatur S. Augustinus (Lib. III. de Baptismo Cap. XVI.): « Neque enim, inquit, » temporalibus, et sensibilibus miraculis attestantibus » per manus impositionem modo datur Spiritus Sanctus sicut antea dabatur ad commendationem rudis fidei, et Ecclesiae primordia dilatanda. Quis » enim nunc hoc expectat, ut ii quibus manus ad » accipiendum Spiritum Sanctum imponitur, repente » incipiant linguis loqui? Sed invisibiliter, et latenter vinculum pacis eorum cordibus Divina charitas inspirari ».

§. 283. *Contra.* Atqui Apostoli solum gratias gratis datas, non vero gratiam sanctificantem, manuum impositione conferant: Stat ergo argum. Prob: subsm. Apostoli manuum impositione, recenter baptizatis dabant Spiritum Sanctum; Atqui recenter baptizati, gratiam sanctificantem, per Baptismum jam acceperant; Ergo gratia sanctificans eis necessaria non erat; Adeoque etc.

§. 284. R. conc: maj:, dist: min:, gratiam primam, qua ab originali peccato liberarentur, atque filii Dei, et Cælestis Regni hæredes evaderent, conc: gratiam secundam, qua nempe in Christiana Religione, et suscepta fide confirmarentur, novumque robur eis accederet, quo fortes effecti, certare possent ut veri pugiles in acie Christi adversus hostium humani generis conatus, n. min: Ergo etc, n. utramque consam. Sacramentum Confirmationis utique non primam, sed secundam gratiam homini baptizato confert (licet quandoque per accidens etiam primam); hæc autem gratia non est baptizato inutilis, uti putant adversarii, sed utilissima. Nam si homo prima gratia renascitur, secunda viribus roboratur. Et sicut non solum interest renasci, sed etiam viribus roborari, ita interest, praeter primam gratiam, quæ in Baptismo confertur, gratiam habere secundam, quæ confertur in confirmatione, per manuum impositionem.

§. 285. *Objic* · 2. *variis mediis.* Ac 1. Apostoli per manuum impositionem non dabant Spiritum Sanctum, sed tantum orabant, ut veniret «. Orabant enim, ait S. Augustinus (Lib: XV. de Trin: c: » 15.), ut Spiritus Sanctus veniret in eos, quibus » manus imponebant, non ipsi eum dabant » Ergo confirmatio non est Sacramentum.

§. 286. II. Confirmatio fiebat manuum impositione; Ergo iterari posset, dicente laudato Augustino (Lib: III. de Baptis. c. 16.): « Manus impositio » non sicut Baptismus, repeti non potest «. Atqui

Confirmatio repeti non potest; Ergo per illam manuum impositionem ab Apootolis factam, non probatur Sacramentum Confirmationis.

§. 287. III. Sacramentum Confirmationis hodie fit olei consecrati unctione: Sed haec unctio fuit Apostolis ignota; Ergo etc.

§. 288. R. ad singula. Et ad 1. Apostoli oratione efficiebant, ut Spiritus Sanctus descenderet super fideles visibiliter, illis tribuendo gratias gratis datas; impositione vero manuum, et ministerialiter, interiorem Spiritus Sancti gratiam confirmatis conferebant.

§. 289. Ad II. Laudato in loco S. Doctor non loquitur de manuum impositione, quae est materia Sacramenti Confirmationis, sed de impositione reconciliatoria. De illa nempe, quæ olim hæreticis ad Ecclesiam revertentibus adhibebatur.

§. 290. Ad III. Cum S. Dionysius Areopagita, qui Apostolorum tempore vivebat, de Chrismate mentionem faciat, dicens: *Baptizatum indutum alba veste ad Pontificem ducunt, ille Divino, ac Deifico prorsus unguento virum signat*, dubitare nullo modo possumus, Apostolos in Confirmatione, ordinarie, Chrisma non adhibuisse. Quod si non legatur hoc in Scripturis, dicere possumus, Apostolos ex Divina dispensatione aliquando sola manuum impositione hoc Sacramentum contulisse, idque ob multitudinem confirmandorum, et confirmantium paucitatem, uti probabiliter tenent S. Thomas, S. Bonaventura, et Doctor subtilis.

Quaeres. *Quando Christus Confirmationem instituit?*

§. 291. Variae sunt quoad hoc Auctorum Sententiae. Patres Concilii Senonensis videntur asserere, Sacramentum hoc fuisse a Christo Domino institutum, quando vocatis ad se infantibus (Matt: 19. v. 15.) imposuit eis manus. Alii auctoritate S. Fabiani Pontificis innixi, tenent fuisse in nocte Coenae institu-

tum. Volunt, alii illud non exhibitione, sed promissione tantum fuisse institutum, cum Jesus Christus, se daturum Spiritum Sanctum, Apostolis promisit. Tenent alii, post Resurrectionem fuisse institutum; et alii tandem institutum adfirmant in die Pentecostes.

§. 292. R. 2. Cum ex Sacris Scripturis, atque Traditione, nihil da hac re certo erui possit; cumque in tam varias abeant Theologi opiniones, ut quam merito aliis preferri possit, ignoretur, fatendum est, incertum esse tempus, quo Confimationis Sacramentum fuerit a Christo Domino institutum.

CAPUT IX.

De Materia, et forma Confirmationis.

§. 293. *Animad.* De materia, et forma Sacramenti Confirmationis, non una est Auctorum sententia. Miratur Lutherus; *quomodo in mentem nostram venire potuerit, ut Sacramentum Confirmationis faceremus ex impositione manuum.* Kemnitius, ratus materiam Confirmationis, nulla habere in Scripturis apparentia testimonia, plura contra manuum impositionem effutiit. Calvinus effræni audacia asserere non dubitavit, materiam nostrae Confirmationis (Lib: 4. Inst. Cap. XIX.), et Confirmationem ipsam esse *oleum Diaboli mendacio pollutum, quod velut offusis tenebris simplicium mentes fallit.* Spalatensis (Lib: V. de Rep: Eccl: Cap: 5. n. 2.), ait, Confirmationem non habere certam, et fixam materiam. Dallæus manuum impositionem nedum Sacramenti Confirmationis, sed nullius Sacramenti esse posse materiam sustinet. Theologi Catholici hos errores unanimiter detestantur; sed inter se non conveniunt in assignanda materia essentiali, et necessaria Confirmationis. Nos quae tenenda sunt, breviter, sed distinctis propositionibus, explicabimus.

PROPOSITIO I.

Materia remota essentialis Sacramenti Confirmationis est Chrisma, confectum ex oleo, et balsamo, benedicto ab Episcopo.

§. 294. Prob. Nam ita expresse declaratum habetur in Concilio Florentino (Decreto pro Arm.), in quo sic legitur: *Secundum Sacramentum est Confirmatio, cujus materia est Chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiæ, et balsamo, quod odorem significat bonæ famæ.* Idque ex praxi, et perpetua traditione Ecclesiae quoque comprobari potest. Audiatur hic tantum pro omnibus S. Gregorius Papa qui (In 1. Cant.) sic ait: *In Engaddi balsamum gignitur, quod cum oleo, Pontificali benedictione, Chrisma efficitur.* Ergo etc.

PROPOSITIO II.

Materia proxima, et adæquata Sacramenti Confirmationis est ea impositio manus qua Episcopus per modum Crucis, ungit frontem confirmandi.

§. 295. Prob. auctoritate. Ac 1. Venerabilis Beda (In Psal. 28.): *Illa unctio*, inquit, *quæ per manus impositionem fit ab Episcopo, vulgo Confirmatio dicitur.* 2. Amalarius (Lib. I. de Offic. Cap. 17.) scribit: *Ut ab Episcopis solis inungatur per manus impositionem, ab Apostolis assumptum est.* Rabanus Maurus (Lib. de Inst. Clericorum C. 28.); *Ad solum Episcopum pertinere*, inquit, *ut baptizatum, per manus impositionem cum ipso Chrismate consignet.* Tandem Hugo Victorinus (Lib. I. de Sacram. P. 7. Cap. 2.), *Sancta Ecclesia*, ait, *prius in aqua mundatur Baptismatis, et sic unctione Chrismatis insignitur per manus Pontificis.* Ergo etc. Et sane si ita non

esset, dicendum foret, aut Apostolos numquam adhibuisse unctionem, aut aliquando duplicem manuum impositionem; Atqui neutrum dici potest; Non primum quia ordinarie Apostoli unctionem adhibebant (§. 290.); non secundum, quia de unica manuum impositione fit mentio in Scripturis; Ergo si Apostoli imponebant manus, et ungebant, impositio manus, qua ungitur confirmandus est materia proxima etc.; Adeoque etc.

PROPOSITIO III.

Forma essentialis, et adæquata Confirmationis apud Latinos hæc est: Signo te, signo Crucis; et confirmo te Chrismate salutis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus S.

§. 296. Prob. Nam haec forma, et hisce verbis expressa statuta legitur in Concilio Florentino, ex Rituali Romano; et ex aliis antiquissimis Codicibus, ut videre est apud Theologos hujus rei tractatores; Ergo etc.

CAPUT X.

De Ministro, et subjecto Confimationis.

§. 297. *Animad.* Loquimur hic de Ministro sive ordinario, sive extraordinario hujus Sacramenti, qui qualis proprie sit, lis est inter Catholicos, et Hæreticos. Waldenses namque, Wicleffitae, Hussitae, Lutherani, Calvinistæ, et quotquot docent, Episcopos non esse Presbyteris superiores, sustinent quoque, tam Episcopos, quam Presbyteros habere ordinariam potestatem, Sacramentum Confirmationis administrandi. His adversantur Catholici, cum quibus sit.

PROPOSITIO I.

Ex Divina institutione Minister ordinarius Sacramenti Confirmationis est solus Episcopus.

§. 298. Prob. I. ex Scripturis. In Actibus Apostolorum legitur, Apostolos solos hoc Sacramentum ministrasse. Sane cum Philippus Diaconus, multos Samaritanos baptizasset, opus fuit, ut illi a Petro, et Joanne confirmarentur (Cap. VIII. v. 17.): Similiter (Cap. XIX. v. 5. 5. 6.) Paulus multos confirmavit, quos ab aliis fecerat baptizare; Sed Apostoli erant Episcopi; Ergo etc.

§. 299. Prob. II. ex Concilio Tridentino, in quo (Sess. VII. Can. 2.) ita statutum legitur: *Si quis dixerit Sanctæ Confirmationis ordinarium Ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem, anathema sit.*

PROPOSITIO II.

Ex dispensatione Summi Pontificis, quilibet simplex Sacerdos potest esse Minister extraordinarius Confirmationis.

§. 300. Prob. Nam licet ordinarius Minister Confirmationis sit solus Episcopus, *Legitur tamen*, ait Eugenius IV. (In Concilio Florent. in Decreto.), *aliquando per Apostolicæ sedis dispensationem, ex rationabili, et urgente admodum causa, simplicem Sacerdotem, Chrismate per Episcopum confecto, hoc administrasse Confirmationis Sacramentum.* Et revera id concessit Sardiniae Presbyteris S. Gregorius Magnus; Fratribus Praedicatoribus Innocentius IV., Fratribus Minoribus pro Indis Joannes XII., et Leo X.; Patribus Societatis Jesu Gregorius XIII.; P. Guardiano S. Sepulchri Innocentius XIII., et Bene-

dictus XIV.; et alii Pontifices aliis, in terris a Sede Apostolica remotissimis, Infidelium ditioni subjectis, ia quibus Episcoporum copia deest.

Quaeres. *Quodnam sit Confirmationis subjectum?*

§. 301. R. Subjectum Confirmationis est quilibet homo viator baptizatus. Nam etiam in puerili aetate » homo potest consequi perfectionem spiritualis aeta- » tis, *ait S. Thomas* (Vid. Tournely de Min. Conf.); » et inde est, quod multi in puerili aetate, propter » robur Spiritus Sancti perceptum, usque ad sangui- » nem fortiter certaverunt pro Christo ». Quare per duodecim priora saecula, Confirmatio cum Baptismo collata fuit, quod nunc etiam servatur apud Græcos. Hodie autem pueris ante septennium, nisi adsit aliqua justa causa, vel periculum mortis urgeat, in Ecclesia Latina, Confirmatio non administratur. Nam: *Si Episcopus ab aliquam caussam, justam, atque adeo necessariam parvulo, et infanti, qui non modo, eam aetatem* (sc: septenii) *expleat, sed ne attingat quidem, ministrandum aliquando censuerit; ne sit vetitum.*

Quæres. *Utrum recipiens Confirmationem debeat esse in gratia?*

§. 302. R. Ut quis licite recipiat Confirmationem debet utique esse in gratia, alias sacrilegium committeret; quia Sacramentum indigne susciperet. Et sane, Confirmatio est Sacrrmentum vivorum, et proinde non confert per se nisi secundam gratiam, proinde supponit jam animam, gratia sanctificente ornatam.

CAPUT XI.

De Confirmationis necessitate, atque effectibus.

§. 303. *Animad*: Quæ hic de vario necessitatis genere dicenda forent, jam exposita sunt §. 227, 228.

§. 304. *Schol.* Confirmationem necessitate medii necessariam non esse fatentur omnes; constat namque, multos ex hac vita absque ea discedere, quin de salute eorum desperetur. Hinc in Cathechismo Concilii Tridentini (de Conf: §. 13.) legitur: *Illud in primis docendum est, hoc Sacramentum ejusmodi necessitatem non habere, ut sine eo salvus quis esse non possit.* Necessaria vero ne sit, saltem necessitate præcepti sive Divini, sive Ecclesiastici, non aeque constat apud ipsos Theologos Catholicos. Sunt plerique qui nullum praeceptum extare dicunt suscipiendi Confirmationem, bonum vero eam suscipere, peccatum contemnere; Atque hujus sententiae fuerunt Doctor subtilis (IV. dist: 7. q. 2. art: 2. 9. 1.), et Doctor Angelicus (IV. dist: 17. q: 1. n. 11.). Sunt permulti e contra, qui utrumque praeceptum, tam nempe Divinum, quam Ecclesiasticum extare contendunt; Sed quando hoc urgeat praeceptum, certo assignare nesciunt. Sunt et alii denique, qui et tempus quoque illud assignare student, quo Confirmatio suscipi debeat. Probabiliora seligemus.

PROPOSITIO I.

Probabilius est, Confirmationis Sacramentum, necessitate præcepti tum Divini, cum Ecclesiastici necessarium esse.

§. 305. Prob. I. P. Apud Lucam ait Christus Apostolis (Cap. ult. v. 49.) *Ego mitto promissum Patris mei in vos: vos autem sedete in Civitate*

quoadusque induamini virtute ex alto. Idipsum legitur in Actibus Apostolorum (Cap. I. v. 4. 8.): *Præcepit eis ab Jerosolimis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris . . . . . Accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti in vos, et eritis mihi testes etc*: Quibus positis ita liceat argumentari. Per promissionem Patris, per virtutem supervenientis Spiritus Sancti in Apostolos, ut essent testes Jesu Christi, Confirmationis Sacramentum, quod ipsi suscepturi erant, haud obscure innuitur: Ad hoc enim tale Sacramentum institutum est, ut fidelibus robur accedat, et virtus augeatur ad fidem Jesu Christi audacter tuendam (§. 284.); Atqui Christus Apostolis præcepit, ut talia expectarent, et acciperent, priusquam ab Jerosolimis discederent; Ergo Christus Confirmationem præcepit. Ultraquaquod si ipsi nullum a Christo Confirmationis suscipiendæ praeceptum habuissent, tam solliciti in ea inculcanda et conferenda non fuissent Sed admodum solliciti fuerunt; Ergo etc.

§. 306. Prob. II. P. Patrum traditione. Ac 1. S. Cyprianus (Epist: 70.): « *Ungi necesse est*, » *inquit, eum, qui baptizatus sit, ut accepto Chris-* » *mate . . . . habere in se gratiam Christi possit*: » Patres Concilii Laodicensis (Serm: 1. in Dedic: Eccl:): *Oportet*, inquiunt, *eos, qui illuminantur, post baptisma inungi supercœlesti Chrismate.* S. Petrus Damianus: « *Decretales paginæ*, scribit, *et* » *Sanctorum Patrum instituta decernunt non esse* » *differendam . . . Sacramenti hujus virtutem, ne nos inermes inveniat fradulentus ille contortor.* Quare Hugo de S. Victore « quid prodest, inquit, si per » Baptismum a lapsu erigeris, nisi per Confirmatio- » nem ad standum confirmeris? non quia sine Con- » firmatione non valet Baptismus ad salutem, quia » hoc falsum est: sed quia frequenter in pugna spi- » rituali accideret etiam facilitas cadendi, et proinde » damnatio, nisi esset Confirmatio ». Et ut alios ta-

creamus; Patres Concilii Mediolanensis IV. (Anno 1579.): *si quis neglexerit.* (Confirmationem suscipere), inquiunt, *Canonicis subjaceat disciplinis;* Ergo si necesse est, et oportet Confirmationem suscipere; si differi nequit, aut negligi, quin negligens poenis Canonicis non subjaceat, profecto Confirmationis Sacramentum est necessarium, etiam necessitate praecepti Ecclesiastici.

§. 307. Prob: III. hac ratione Theologica. Omnis Christianus tenetur fortiter dimicare adversus Diabolum, qui D. Petri sententia (Epist: I. Cap: V. v. 8.): *tamquam leo rugiens, circuit quærens quem devoret;* atque Dei armaturam induere, ut possit stare adversus insidias ejus, ut monet Apostolus (Eph: Cap. VI. v. 11.) Atqui ad hoc institutum est Confirmationis Sacramentum (§. 273.); Ergo etc: Hinc S. Melchiades Papa (Epist: ad Episc: Hisp:): *Quia in hoc Mundo tota ætate victuris inter invisibiles hostes et pericula gradiendum est, in Baptismo regeneramur ad vitam, post Baptismum confirmatur ad pugnam; in Baptismo abluimur, post Baptismum roboramur. At si continuo transituris sufficiant regenerationis beneficia, victuris tamen necessaria sunt Confirmationis auxilia. Regeneratio per se salvat mox in pace beati sæculi recipiendos. Confirmatio autem armat, et instruit ad agones hujus mundi et prælia reservandos.*

§. 308. Dices 1. Nullum extat in Scripturis testimonium pro necessitate hujus Sacramenti; frustra Ergo necessarium asseritur.

§. 309. R. concedere omnino, et absolute adversariis non possumus, Scripturarum testimonium non extare pro Sacramenti Confirmationis necessitate. Quid enim indicant verba illa Christi Domini ad discipulos (Lucae XXIV. v. 49.): *Ego mitto promissum* etc: *Accipietis* etc: ut supra. §. 305.? Cæterum etsi daretur, nullum in Sacris Scripturis testimonium

expressum inveniri pro confirmationis necessitate, quid inde? habemus Patrum auctoritates (§. 306.), et ipsam rationem theologicam (§. 307.), quæ id clarissime ostendunt; quæque nobis sufficiunt ad Sacramenti Confirmationis necessitatem adstruendam.

Quæres. *Quando quis tenetur ad hoc Sacramentum suscipiendum?*

§. 310. R. Licet laudabile foret, statim ac quisque hujus Sacramenti virtutem atque excellentiam perspexerit, illud si devote susciperet, cum ita animæ suae cousulere melius videatur, divinamque gratiam atque Spiritus Sancti dona, in debito pretio habere, ad id tamen non tenetur, sed tantummodo 1. si persequutio contra Religionem, et fidem insæviret, aut proxima, et imminens timeretur; 2. si tentationes contra fidem sint fortes, nimiumque frequentes, pro quibus superandis peculiare, et proprium Confirmationis adjutorium videat indigere fidelis, ita ut sine eo, in periculo sit lapsus in errorem; 3. in mortis periculo, in quo insidiae, et tentationes Dæmonis sunt fortiores, atque vehementiores, tunc enim descendit diabolus habens iram magnam, sciens quia modicum tempus habet. « Propterea recte scribit Hugo Victorinus (Lib: II. Parte 7. Cap: 3.) timendum est » iis, qui per negligentiam amittunt Episcopi præ» sentiam, et non suscipiunt manus impositionem, ne » forte propterea damnentur, quia festinare debue» rant. Propter eos enim, qui articulo temporis præ» veniuntur, instituta est illa, qua Sacerdos statim » in vertice linit, sacri Chrismatis unctio, ut in » hoc ipso ostendatur, quantum Sacramentum istud » necessarium sit ad salutem, cum tam sollicite uni» versis cavetur, ne forte sine ipso ab hac vita sub» trahuntur ». 4. tandem ex praecepto Ecclesiastico tenentur ad Confirmationem suscipiendam omnes, qui ad annos discretionis pervenerint, eo praesertim tempore quo Episcopus est *dispositus* et paratus ad illam

ipsis administrandam, et ipsi gravem, atque legitimam caussam non habent illam differendi; ita enim statutum habetur in Concilio Senonensi (Anni 1524.): *Confirmationem, omnes Christiani tam viri, quam mulieres usum rationis habentes obligantur suscipere, aut saltem non contemnere. Contemni autem dicitur quando Episcopus est præsens paratus dare, et persona hoc sciens, negligit.*

PROPOSITIO II.

Effectus Confirmationis sunt gratiæ sanctificantis augmentum, et Character.

§. 311. Prob. I. P. ex Concilio Florentino (in Decreto unionis) in quo ita legitur: *Effectus autem hujus Sacramenti est, quia in eo datur Spiritus Sanctus ad robur sicut datus est Apostolis in die Pentecostes, ut audacter Christi confiteatur Nomen.* Et rursus. *Per Baptismum spiritualiter renascimur; per Confirmationem augemur in in gratia, et roboramur in Fide.* Et sane; *ex ipso nomine* Confirmationis, *apparet*, inquit Angelicus Doctor (III. P. Q. 72. art. 7. ad 2.), *hoc Sacramentum dari ad confirmandum quod prius invenerit.* Ergo etc.

§. 312. Prob. II. P. Ex Concilio Tridentino (Sess. VII. Can. 9.), in quo ita statutum invenitur: *Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione, et Ordine non imprimi characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale, et indelebile, unde ea iterari non possunt, anathema sit.* Ergo etc (1).

Quaeres. *An in Confirmationis Sacramento administrando adhiberi debeant Patrini?*

---

(1). Vid. Tournely de Confirm. Q. IV. Art I.

§. 313. Sicuti in Baptismo (§. 268. et seq.), ita et in Confirmatione adhiberi debent Patrini. Ita in primis decrevit Higinus Papa (Consec: disp: 4. C. 100.): *In Catechismo, et in Baptismo, et in Confirmatione, unus Patrinus fieri potest si necessitas cogit; non est tamen consuetudo Romana, sed per singulos singuli recipiunt.* Et S. Leo Papa, pariter ita decrevit (Lib: 101.): *Non plures ad suscipiendum de Baptismo infantem accedant, quam unus sive vir, sive mulier, in Confirmatione quoque idipsum fiat.*

CAPUT XII.

De Eucharistiæ Sacramento.

§. 314. *Def: Eucharistia est Sacramentum Novæ Legis a Christo Domino institutum ad spiritualem animæ refectionem, in quo Corpus, et Sanguis Christi, vere, realiter, et substantialiter, sub speciebus panis, et vini, continentur.*

§. 315. *Schol*: Porro hujus Sacramenti tanta est dignitas, atque excellentia, ut variis, mysticisque nominibus illud appellaverint Patres, atque Theologi. Et sane appellatur 1. *Eucharistia*, hoc est *gratiarum actio*, quia Christus in ejus institutione, Deo Patri gratias egit; et quia ejus mysteria, ait Chrysostomus (Homil. 26. in Cap. 8. Mat.), *sunt beneficiorum recordatio plurimorum, caputque ipsum erga nos charitatis ostendunt, nosque faciunt debitas Deo gratias semper exolvere.* 2. vocatur *Communio*, quia per hoc Sacramentum, *Christo Capiti*, ait S. Joannes Damascenus (Lib. IV. de Fide Orthodoxa Cap. 13.): *communicamus, ejusque carnem ac divinitatem percipimus, quin etiam alii aliis communicamus ac copulamur. Nam quia ex uno pane participamus omnes unum Christi corpus, et unus sanguis aliique aliorum membra efficimur, dum unius corporis su-*

mus. 3. Appellatur *Synaxis*, *idest collectio*, *congregatio*, *adunatio*, quia ad eam suscipiendam congregari solebant fideles; unde illud Apostoli (Epist. I. ad Corinth. Cap. XI. v. 4.). *Convenientibus vobis in unum*, *jam non est Dominicam cœnam manducare*. 4. appellatur *Eulogia*, seu *benedictio*, quia benedictione perficitur. Quare Paulus ad Corinthios (Epist. I. Cap. X. v. 16.): *Calix benedictionis*, *cui benedicimus*, *nonne communicatio sanguinis Christi est?* 5. appellatur *Viaticum; quia hoc Sacramentum*, ait S. Thomas (III. P. Q. 73.), *præfigurativum est fruitionis Dei*, *quæ erit in Patria*, *et secundum hoc dicitur viaticum*, *quia hic præbet nobis viam illuc perveniendi*. Tandem, ut cætera brevitatis gratia prætereamus, 6. appellatur *panis*: *Panis quem ego dabo*, ait Christus Dominus (Joann. Cap. VI. v. 52.), *caro mea est pro mundi vita;* et Apostolus (I. ad Corinth. Cap. X. v. 16.): *Panis*, *quem frangimus*, *nonne participatio corporis Domini est?* Esto tamen hæc ita se habeant, de divinissimo nihilominus hoc Eucharistiae Sacramento

Variæ circumferuntur Hæreticorum sententiæ.

§. 316. Et sane Simoniani, Menandriani, Manichaei, omnesque illi alii, qui negarunt, Christum Dominum veram carnem humanam in utero Virginis Mariae assumpsisse, hujus Sacramenti existentiam, et veritatem negarunt quoque. Berengarius, in Sacramento Eucharistiæ, non verum corpus, et sanguinem, sed figuram, et imaginem ejus solummodo admisit; idipsum docuerunt Petrus de Bruis, Henricus, Albigenses, Tolosani, Carlostadius, Zuinglius, Bucerus, aliique eorum sectatores. Sociniani tandem, Eucharistiam verum, et proprie dictum Sacramentum esse negarunt. Neque minus circa Eucharistiam errarunt Calvinistae, atque Lutherani. Illi namque do-

cuerunt, eam consistere in usu tantum, sive in illa tantum actione, qua manducatur Corpus, et Sanguis bibitur; Lutherani vero sustinent, in omnes illas actiones consistere, quas Christus in ultima Coena exercuit. Unde in Calvinistarum sententia, Christus est in Eucharistia, dum actu sumitur, et non amplius in Lutheranorum vero opinione, durantibus illis actionibus. Verum quam impie ab Heterodoxis ista prædicentur, ex sequentibus patebit (1).

PROPOSITIO I.

Eucharistia est verum, et proprium Novæ Legis Sacramentum.

§. 317. Nam 1. in eo adest signum sensibile, species nempe panis, et vini; 2. promissio gratiae: *Qui manducat meam carnem, et bibit meum Sanguinem in me manet, et ego in illo* (Joann. Cap. VI. v. 37.); et 3. institutio Divina, uti constat ex S. Matthæo (Cap. XXVI. v. 26. et seq.): S. Marco (Cap. XIV. v. 22. 23.); et Luca (Cap. XXII. v. 19. 20.), in quibus legitur quod Christus in ultima Cœna accepit panem, benedixit, fregit, deditque Discipulis, dicens. *Hoc est Corpus meum etc.*; Ergo etc.

§. 318. Dices. Eucharistia non est semper signum gratiae; Ergo non est Sacramentum. Prob: antec: Eucharistia, dum asservatur in ciborio, nemini confert gratiam; Ergo etc.

§. 319. R. dist: antec: Eucharistia etc:, actu. conc:, potentia, n. antec: Ergo etc, n. consm. Eucharistia in se spectata, etiam dum in ciborio asservatur est signum gratiae subsistentis; Semper enim

(1) Vid. Coccium Thesauri Catholici T. II. Lib. VI. Art. I.

Corpus et Sanguinem Christi significat, quod sufficit ad rationem Sacramenti. Quoad vero gratiam accidentalem, eam quidem actu non continet, sed in potentia, quando nempe applicatur subjecto.

PROPOSITIO II.

In Sacramento Eucharistiæ est vera, realis, et substantialis præsentia Corporis, et Sanguinis Jesu Christi.

§. 320. Prob. 1. ex Scripturis. Christus de hoc Sacramento, quod erat instituturus loquens apud Joannem, inquit (Cap. VI. v. 51. et seq.): *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro Mundi vita . . . Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis . . . . Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.* Instituens autem hoc Sacramentum in ultima Cœna, cœnatibus Discipulis (1), *accepit Jesus panem, et benedixit ac fregit; deditque* (2) *Discipulis suis, et ait: accipite, et comedite, Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: Et accipiens calicem, gratias egit, et dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes: Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Quibus positis, en argumentum: In Eucharistia est vera, realis, et substantialis praesentia Corporis, et Sanguinis Christi, si in ea panis qui oculis conspicitur est vera Christi caro; caro nempe pro mundi vita in Virginis utero assumpta; caro, quæ vere est cibus; et sanguis ejus, qui vere est potus: Panis qui est verum Christi corpus; corpus

(1) Matthaei Cap. XXVI. v. 26. et seq.
(2) Apud Lucam Cap. XXII. v. 19.

nempe quod pro hominum salute traditum est; et sanguis idem, qui propter peccatorum remissionem effusus fuit; Atqui ex adductis testimoniis, tale est Sacramentum Eucharistiae; panis namque, quem ipse Jesus dedit ad vescendum, non erat amplius panis usualis et communis, sed caro ejus pro Mundi vita, et corpus ejus in proximo interficiendum; et vinum in calice, quod tunc eis præbuit ad bibendum, vinum naturale, et commune amplius non erat, sed sanguis ejus verus realis, qui remissionem nempe peccatorum, effusione sui, obtinere debebat; Ergo in Sacramento Eucharistiae etc.

§. 321. Prob. II. Ex Conciliis. Concilium Nicænum 1. haec habet (Lect. III. de Sacra Mensa): *Intelligamus situm in illa sacra mensa, agnum illum Dei tollentem peccata Mundi, incruente a Sacerdotibus immolatum, et pretiosum ejus Corpus, et Sanguinem vere sumentes credamus, hæc esse nostræ Redemptionis Symbola.* Concilium Lateranense IV. (Cap. I.), sic ait; *Una est fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur: in quam idem ipse Sacerdos, et sacrificium Jesus Christus, cujus corpus et sanguis in Sacramento Altaris sub speciebus panis, et vini veraciter continentur, transubstantiatis pane in corpus, et vino in sanguinem.* Eadem habet Florentinum; Sed et Tridentinum rem plane conficit hoc Canone (Sess. XXIII. Can. 1.): *Si quis negaverit in Sanctissimo Eucharistiae Sacramento contineri vere realiter, et substantialiter corpus, et sanguinem una cum anima, et Divinitate Domini nostri Jesu Christi, ac proinde totum Christum, sed dixerit tantummodo esse in eo, ut in signo vel figura, aut virtute, anathema sit.* Ergo etc.

Hæreticorum argumenta solvuntur.

§. 322. Objic. I. Christus ubi agit de hujus Sacramenti natura, et de sua praesentia in eo, non loquitur in sensu proprio, sed metaphorico; Ergo falsa propositio.

§. 323. R. n. ans. Christus Dominus cum agit de hoc Sacramento, et de sua præsentia in eo, non in sensu metaphorico, sed in sensu proprio loquitur. Nam 1. Christus hoc Sacramentum veluti suum testamentum ultimum esse voluit, verba autem quibus testamentum conficitur, et clara esse debent, et quæ in sensu proprio intelligantur. 2. Christus est ipsa veritas, et mentiri nequit; si ergo dicens: *Panis, quem ego dabo caro mea est*, non veram suam carnem, sed carnis suæ figuram dedisset, mentitus fuisset, nosque fefellisset; quod esse nequit: 3. Si Christus de figura tantum corporis sui, et non de reali præsentia locutus fuisset, Capharnaitae non se scandalizassent de verbis suis; nec ejus discipuli, ut nimis durum apprehendissent ejus sermonem; et si ipse dicens: *caro mea vera est cibus, et sanguis meus vere est potus*, non intellexisset loqui de sua vera carne, et vero sanguine, videns illos scandalizatos, ut scandalum amoveret, debuisset, quod dixerat explicare, et dicere, se non daturum ad manducandum suam veram carnem, sed suae carnis figuram; Atqui Christus, non solum quæ dixerat non sic explicavit; sed et juramento illa confirmavit dicens: *Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis ejus sanguinem non habebitis vitam in vobis;* Ergo etc.

§. 324. *Contra.* Atqui laudatis in locis, non in sensu proprio, sed metaphorico Christus locutus fuit; Ergo n. r. Si qua est ratio, cui innixi asserunt Catholici, laudatis in locis, Christum loqui in sensu proprio, de vera scilicet sua carne, et sanguine in

Eucharistia, illa potissimum est, quae desumitur ex verbo illo *est*, et adverbio adjuncto *vere*: *caro mea vere est cibus*, *et sanguis meus vere est potus etc.* Atqui hæc ratio nullius est roboris; Ergo etc. Prob. min.: Idem Christus qui dixit: *caro mea vere est cibus*: *Hoc est Corpus meum*, dixit quoque (Joann: Cap. XV. v. 1.); *Ego sum vitis vera;* Sed ex Catholicorum sententia, hæc posteriora verba nullius sunt roboris ad ostendendum, Christum esse veram vitem; Ergo et illa alia anteriora nullius sunt roboris etc.

§. 325. R. Summa disparitas est inter allata verba Christi anteriora, et posteriora; haec namque, ex adjunctis, clare cognuscuntur dicta, non in sensu proprio, sed per similitudinem, illa vero in sensu proprio, et naturali. Postquam dixit Christus: *Ego sum vitis vera*, subjungit: *et Pater meus agricola est*: *vos*, idest Apostoli, *palmites;* qui ergo esse poterit, qui statim ex his non agnoscat, Christum loqui per similitudinem, ut ipsemet postea explicat dicens, *quia sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos nisi in me manseritis.* Anne possibile est, Christum Dei virtutem et sapientiam, Patris unigenitum, et Patri aeterno consubstantialem, esse vitem ligneam, inanimem materialem, sensu, et intelligentia expertem? Possibile est, æternum Patrem esse vere, et proprie agricolam, qui occupetur ad purgandum filium suum vitem a tralcibus inutilibus? Non sic autem anteriora verba. Nam ut ostenderet Christus, se metaphorice non loqui et figurate, postquam dixerat: *caro mea vere est cibus*; vere, et realiter dedit eam discipulis vescendam; dixit namque *accipite*, *et comedite; Hoc est Corpus meum*, et ut omnis suscipio tolleretur, addidit: *quod pro vobis tradetur*. Cum ergo, optime ad rem S. Cyrillus Jerosolimitanus (Catechesi IV.), *Christus ipse sic affirmet*, *et dicat de pane*, *hoc*

est corpus meum, quis deinceps audeat dubitare? Ac eodem quoque confirmante, ac dicente: Hic est sanguis meus; quis unquam dubitet, et dicat non esse illius sanguinem?

§. 326. *Contra:* Atqui laudatis a vobis adjunctis, tantum abest ut probetis, Christum esse vere, et realiter in Eucharistia, quin etiam contrarium suadetur. Ergo n. r. Prob. subsm. Christus accipiens panem dixit: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur*; Atqui corpus istud, quod indicavit Christus, non fuit morti traditum, sed ab Apostolis manducatum, et consumptum; et verum et reale Christi corpus fuit morti traditum; Ergo tale corpus non fuit verum, sed figuratum; Adeoque etc.

§. 327. R. conc. maj.; et n. min. cum consa. Cum Christus dixit Apostolis: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur*, verum, reale, ac substantiale corpus sum indicavit, quod revera in mortem traditum fuit propter delicta nostra; Non enim duo diversa Christi corpora tunc erant, ut proinde unum et non aliud, ut fingere videntur adversarii, tradi debuisset, sed unum et idem; in Eucharistia licet sub speciebus panis velatum, et absconditum. Unum ergo et idem Christi corpus fuit datum, Discipulis ad manducandum, et Judaeis ad illudendum flagellandum, et crucifigendum; Discipulis sub speciebus panis, Judaeis in proprio et naturali suo statu, et forma; adeoque nullius est roboris adductum argumentum.

§. 328. Objic. II. Omnino impossile est, ut parum panis transeat in verum, et substantiale Christi Domini Corpus; et Christi Corpus sub panis speciebus vere contineatur; Ergo falsa Propositio.

§. 329. R. dist. ans. Omnino impossibile est etc. si humana virtus spectetur, atque potentia; conc.; si omnipotentia Dei consideretur, n. ans. cum consa. Utique si humana spectatur potentia, impossibile pror-

sus est, ut panis in carnem transmutetur Christi Domini; at non, si Dei virtus consideratur, et potentia. *Apud Deum namque non est impossibile omne verbum* (Lucæ Cap. I. v. 37.). Et sane « si tantum » valuit sermo Eliae, ait S. Ambrosius (Lib. de » initiandis Cap. IX.), ut ignem de Cælo deponeret, » non valebit Christi sermo, ut species mutet ele» mentorum? . . . de totius Mundi operibus legisti. » Quia ipse dixit et facta sunt; ipse mandavit et » creata sunt: sermo ergo Christi qui potuit ex ni» hilo facere quod non erat, non potest ea quae sunt » in id mutare quod non erant? Non enim minus » est novas rebus dare, quam mutare naturas ». Non est ergo impossibile, ut divina virtute, et verbo, quod ante consecrationem panis erat, post consecrationem corpus verum, et reale sit Christi Domini.

§. 330. *Contra.* Atqui etiam inspecta divina potentia, nequit fieri, ut Christi Corpus sub panis speciebus contineatur; Ergo n. r. Prob. subsm. Christus nunc sedet ad dexteram Patris, nec inde iterum venturus in Mundum creditur, nisi cum ad judicium venerit; Ergo etc.

§. 331. R. dist. ans. Christus etc. secundum existendi modum naturalem, conc. Sacramentaliter n. ans. cum consa. *Docet S. Synodus* Tridentina (Sess. XIII. Cap. I.), *et aperte, ac simpliciter profitetur in Almo Sanctæ Eucharistiæ Sacramento, post panis et vini consecrationem, Dominum nostrum Jesum Christum verum Deum, atque hominem vere, realiter ac substantialiter sub specie illarum rerum sensibilium contineri. Nec enim inter se pugnant, ut ipse Salvator noster semper ad dexteram Patris in Cœlis assideat, juxta modum existendi naturalem, ut multis nihilominus aliis in locis sacramentaliter præsens, sua substantia nobis adsit ea existendi ratione, quam etsi verbis exprimere vix possumus, possibilem tamen esse Deo, cogitatione per fidem*

illustrata, assequi possumus, et constantissime credere debemus.

§. 332. *Contra.* Atqui Dei potentia inspecta, repugnat ut Christus sit etiam sacramentaliter in hoc Mundo; Ergo n. r. Prob. subsm. Christus nequit negare seipsum; nequit ergo non agere in gloriam Patris, et sui nominis exaltationem; Atqui si fieri posset ut sacramentaliter ipse esset in Mundo, hoc est sub speciebus panis, nec in gloriam Patris, nec in sui nominis exaltationem ageret; in parvula quippe hostia absconditus et neglectus, nec videtur, nec agnoscitur, nisi per fidem Deus; hinc potest et a belluis devorari, et igne comburi, et pedibus calcari, imo et flatu longe abjici; Ergo etc.

§. 333. R. n. min. et consm. Si quod opus grande est, quod a Jesu Christo peractum, illius attributa patefaciat, atque commendet quam maxime, illud profecto est Sacramentum Eucharistiae. In eo enim Divina Omnipotentia, Sapientia, et maxime amor erga homines tam mirabiliter elucent, ut scribere non dubitarit S. Augustinus (Tract. 84. in Joann.): *Dicere audeo, quod Deus cum sit Omnipotens plus dare non potuit, cum sit sapientissimus plus dare nescivit; cum sit ditissimus plus dare non habuit.* Quod vero sub speciebus Eucharisticis, Christi corpus pluribus modis in honorari possit, non negamus; nam sicuti Deus, licet verbis, et factis ab impiis hominibus videatur in honorari, nullum tamen in se recipit detrimentum; imo sua attributa per hoc ipsum ostendit; vel scilicet justitiam si eos punit, vel patientiam, et longanimitatem si eos ad pœnitentiam expectat, vel tandem charitatem, et misericordiam si eis peccata remittit; Ita Jesus Christus in Eucharistia. Et maxime non dedignatur in tanta humilitate oculis nostris apparere, ut nimiam charitatem suam

Ecclesia aptissime transubstantiationem appellat, anathema sit. Ergo etc.

§. 336. Objic. Peracta consecratione, idem panis idemque vinum conspicitur, nulla facta mutatione, vel saltem alteratione; Ergo etc.

§. 337. R. dist. ans.: Peracta consecratione etc. quoad accidentia, quae sensibus corporis percipiuntur, conc., quoad substantiam, n. ans., et consm. Fatemur et nos, accidentia panis et vini, post consecrationem remanere; ex hoc autem quod sensus nostri nullam mutationem fieri sensibiliter in Eucharistia renuntient, non ideo putandum est, panis quoque, et vini substantiam ibi esse: *Nam etsi sensus*, ait optime S. Cyrillus Jerosolimitanus (Catechesi. IV. Misitag:), *aliud tibi renuntiat, fides te confirmet ne judices rem ex gustu, sed te citra ullam dubitationem fides certum reddat . . . qui videtur panis, non panis est, quamvis gustui videatur etc.*

§. 338. *Contra*. Atqui non solum accidentia, sed et substantia panis; et vini remanent post consecrationem; Ergo n. r. Prob. subsm. Eucharistia etiam post consecrationem vocatur panis; Ergo etc.

§. 339. R. tripliciter Eucharistia, etiam post consecrationem dicitur panis; primo transitive, quia antea fuerat panis; 2. extrinsece et apparenter, quia panis apparet; 3. analogice, quia sicut panis nutrit corpus, ita Eucharistia nutrit animam.

§. 340. *Contra*. Atqui verus panis post consecrationem remanet; Ergo stat argm. Prob: subsm. Si non remaneret verus panis post consecrationem; cum quod ante consacrationem erat panis, etiam post consecrationem talis videatur, nos in perpetua versaremur illusione; Atqui hoc esset absurdam; Ergo etc.

§. 341. R. dist. maj: si stare deberemus salis corporis sensibus, seclusa divina revelatione, conc., secus, n. maj: mn: n. consm. Cum in Sacramento Eucharistiæ, post consecrationem panis et vini, acci-

dentia remaneant, proculdubio si in eo djudicando solis stare vellemus corporeis sensibus, in perpetuum versaremur errorem. At cum de hoc agitur Sacramenta, non sensibus stare debemus, sed auctoritati Divinae, qua edocemur, sub accidentibus illis panis et vini, verum corpus, et Sanguinem Christi Domini, substantialiter contineri; sicque ab omni illusione erimus liberi.

PROPOSITIO IV.

Eucharistiae Sacramentum non consistit in solo usu, seu sumptione, sed in re permanente.

§. 342. Prob. ex Concilio Tridentino, in quo ita sancitum habetur (Sess. XIII. Can. 4.): *Si quis dixerit, peracta Consecratione; in admirabili Eucharistiæ Sacramento, non esse corpus, et sanguinem Domini nostri Jesu Christi, sed tantum in usu, dum sumitur; non autem ante vel post, et in hostiis, seu particulis consecratis, quæ post communionem reservantur, vel supersunt, non remanere verum corpus Christi Domini, anathema sit.* Et rursus (Cap: III.) inquit: *Illud in Eucharistia excellens, et singulare reperitur, quod reliqua Sacramenta tunc primum sanctificandi vim habent, cum quis illis utitur: et in Eucharistia ipse sanctitatis auctor ante usum est.*

§. 343. Prob: 2. idipsum antiquissima, et non interrupta consuetudine asservandi particulas in Altari, deferendi communionem Confessoribus in carceribus detentis, persecutionum tempore, vel administrandi viaticum ad infirmos etc. (1). Sane « Si sanguinem cupis, ex Chrysostomo (Hom: 24. in 1.

(1) Vid. Trid. ut supra Cap. VI. Bellarmin., Tournely, aliosq. cit.

ad Cor:) inquit Christus non idolorum aràm brutorum » rum cæde, sed meum altare vero sanguine cruen- » tas, pro cæde brutorum seipsum jussit offerri, » quando ipsum viderit, propositum Dei Corpus, » dic: Propter hoc corpus non sum amplius terra, » et cinis, sed liber homo corpus clavis confixum, » et flagellis cæsum non tulit mors. Hoc Corpus etiam » jacens in præsepio reveriti sunt Magi: tu vero non » in præsepio vides, sed in altari: non fœminam » ipsum tenentem, sed Sacerdotem adstantem ». Justinus quoque Martyr hæc habet (Apolog: etc. circa fin:) « Postquam Antistes gratiarum actionem per- » ficit, et populus omnis apprecatus fuerit, Diaconi » ex pane, et vino consecratis, partes dividunt uni- » cuique præsentium, et ad absentes portant. Hic ci- » bus vocatur Eucharistia ».

§. 344. Prob: tandem 3. hac theologica ratione, Christus habens in manu panem, et calicem postea, antequam panem daret discipulis manducandum, et vinum ad bibendum dixerat de pane: *Hoc est Corpus meum*; et de vino *Hic est Calix sanguinis mei;* Ergo panis ille jam erat Corpus suum; et vinum verus sanguis ejus, alioquin Christus mentitus fuisset; Ergo Eucharistia non in solo usu, sed etc.

PROPOSITIO V.

Eucharistia, ut Sacramentum, non consistit essentialiter in consecratione; neque in solis speciebus, neque in solo corpore et sanguine Christi; sed in speciebus simul, et corpore, ac sanguine Jesu Christi.

§. 345. Prob. Et 1. *Eucharistia, ut Sacramentum non consistit essentialiter in consecratione.* Nam Eucharistia consistit in re permanente (§. 342.); consecratio posita est in verbis, quae fluunt et transeunt; Ergo Eucharistia etc. 2. *Eucharistia non con-*

sistit in solis speciebus; Nam species non faciunt Sacramentum; quia ad Sacramentum non sufficit solum signum sensibile, sed requiritur ut rem invisibilem contineat; Ergo etc. 3. *Non consistit in solo corpore, et sanguine Christi;* Nam de essentia Sacramenti est ut sit signum sensibile (§. 13.); Corpus autem et sanguis Christi in Eucharistia, ut Sacramentum, consistit essentialiter in speciebus simul, et corpore ac sanguine Christi; ita namque habetur completum Sacramentum, quod nempe constat signo sensibili (hoc est speciebus), quod rem invisibilem latentem continet, nempe Corpus et sanguinem Jesu Christi; Adeoque etc.

CAPUT XIII.

De Materia, et Forma Eucharistiæ.

§. 346. *Animad*: Eucharistiæ materiam esse panem, et vinum, formam vero verba a Jesu Christo prolata in panis et vini consecratione, neminem latere potest, cum id expressum in Scripturis habeatur. Verumtamen non defuerunt nonnulli tam de materia, quam de forma Eucharistiae erronea effutientes. Et ut prætereamus impudicissimos Gnosticos, Ophitae panem, et vinum nolebant esse aptam materiam Eucharistiae, nisi prius lamberentur, et involverentur a serpente, quem Christum esse fingebant, a quo sub forma serpentis primos Parentes deceptos esse blasphemabant. Artotyritae panem et caseum in Eucharistia offerebant; Aquarii aquam solummodo offerebant. Idipsum faciebant Manichæi, putantes vinum esse a malo principio. Cathaphrygæ, panem pro Eucharistia conficiebant ex farina cum sanguine, quem punctionibus educebant ex corpore pueruli unius anni Armeni quidam, aquae mixtionem a calice rejiciebant, quod et Luthero placuit. Tandem, quidam Graeci

recensiores, consecrationem in pane azymo irritam esse docuerunt. Sed et non minus circa formam erarunt Hæretici permulti, quorum deliramenta hic exponere supervacaneum putamus. Verum contra hos, et si qui sint ejusdem furfuris, sit.

PROPOSITIO I.

Materia Eucharistiæ est panis triticeus usualis, et vinum ex uvis expressum.

§. 347. Prob. Christus hoc Sacramentum instituens, pro ejus materia talem panem, et vinum adhibuit; Ergo etc. Prob. Christus Dominus in ultima Coena volens hoc Sacramentum instituere; *accepit* de mensa panem ibi appositum pro cœna, et refectione; panem nempe usualem, qui est triticeus, *et gratias agens, benedixit ac fregit, deditque discipulis suis dicens: Accipite, et manducate, hoc est corpus meum. Et accipiens calicem*, in quo vinum, de uvis utique expressum, et usuale, quale in mensa solet apponi, continebatur, *gratias egit, et dedit illis, dicens; Bibite ex hoc omnes: Hic est enim sanguis meus . . . Dico autem vobis non bibam amodo de hoc genimine vitis;* Ergo etc. Quare Eugenius IV. in Concilio Florentino, hæc decrevit, dicens: *Tertium est Eucharistiæ Sacramentum, cujus materia est panis triticeus, et vinum de vite.*

PROPOSITIO II.

Valide conficitur Eucharistia sive panis sit azymus, sive fermentatus.

§. 348. Prob. Nam panis, modo sit triticeus, et usualis, qualis nempe conficitur ex farina tritici, quae admixtione aquae purae, et elementaris, in mas-

sam redacta, concoquitur ad ignem, sive sit azymus sive fermentatus, panis triticei usualis naturam non amittit; igitur valide etc. Qnare Concilii Florentini Patres, *Definimus* ajunt, contra Græcos Schismaticos, *in azymo, sive fermentato pane triticeo, corpus Christi veraciter confici; Sacerdotesque in alterutro ipsum Domini corpus conficere debere, unumquemque scilicet, juxta suæ Ecclesiæ Orientalis, sive Occidentalis consuetudinem.*

PROPOSITIO III.

In Calice, parum aquae naturalis vino admisceri debet, ex præcepto quidem Ecclesiae, non necessitate Sacramenti.

§. 349. Prob. ex Concilio Tridentino, in quo ita legitur (Sess. XXII. Cap. 7.): *Monet S. Synodus, præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent: tum quod Christum Dominum ita fecisse credatur; tum quia e latere ejus aqua simul cum sanguine exierit, quod Sacramentum hac mixtione recolitur: et cum aquæ in Apocalypsi B. Joannis populi fidelis cum capite Christo unio repræsentatur.* Et rursus (Canone 9.): *Si quis dixerit . . . aquam non miscendam esse vino in calice offerendo, eo quod sit contra Christi institutionem, anathema sit.* Ergo etc.

Quæres. *An illud modicum aquæ qnod vino admiscetur, in Christi sanguinem transmutetur?*

§. 350. R. affirmative. Nam docet Tridentina Synodus (Sess. XIII. Cap. III): *Semper hanc fidem in Ecclesia Dei fuisse, statim post consecrationem verum Domini Corpus, verumque ejus sanguinem sub panis, et vini specie existere;* Non dixit Synodus *sub specie vini aqua temperati;* quod certe dixisset si modicum illud aquæ, per commixtionem, in vinum

non transisset, et hoc per consecrationem, in sanguinem Christi Domini mutatum non fuisset.

Quæres. *Quænam circa materiam Eucharistiae observari debeant, ut valide, et licite conficiatur?*

§. 351. R. Ut Eucharistia valide conficiatur, hæc observari debent ex parte materiae. I. ut non sit alia, quam panis usualis triticeus, et vinum usuale, ex uvis nempe maturis expressum. Hinc si quis ad Eucharistiam adhiberet panem ex spelta, hordeo, millio, fabis etc., aut vinum non expressum ex uvis, aut expressum ex uvis agrestibus, vel siccis; aut vinum ex variis fructibus extractum, aut acetum etc. invalida esset consecratio. II. ut materia sit moraliter praesens; ea nempe designari debet per particulas *Hoc*, *Hic*, quod aliter fieri non potest. Materia itaque debet esse in conspectu ministri. III. Materia sit determinata. Nam in Consecratione debet esse intentio Ministri; Minister vero hanc intentionem habere nequit, nisi cognoscat materiam, et determinet quam velit consecrare. Ut autem licite conficiatur: I. requiritur, ut omnino ab Eucharistia amoveatur panis ex secale; et panis triticeus talis sit qualitate, et bonitate, ut tanto Sacramento conficiendo conveniat, ut vinum non adhibeatur, quod non sit adhuc defaecatum, vel quod incœperit acescere.

PROPOSITIO IV.

Forma Sacramenti Eucharistiae sunt haec verba: Hoc est Corpus meum: Hic est Sanguis meus.

§. 352. Prob. Illa est forma Sacramenti Eucharistiae, quam Christus in ea conficienda adhibuit; Atqui talia verba pro forma adhibuit Christus in conficienda Eucharistia; Ergo etc. Prob. min. Christus in ultima Cœna, panem in manus habens, dixit: *Hoc est Corpus meum*; et accipiens calicem

dixit : *Hic est Calix sanguinis mei ;* statimque, quod erat simplex panis, in ejus Corpus verum transmutatum fuit ; et quod simplex erat vinum, in suum verum sanguinem transiit ; Ergo etc. Apposite S. Ambrosius (Lib. IV. de Sacram. Cap. IV. n. 14.) : « » Quomodo potest, qui panis est, esse corpus Christi ? » Consecratione. Consecratio autem quibus verbis est, » et cujus sermonibus ? Domini Jesu. Nam reliqua » omnia, quæ dicuntur in superioribus, a Sacerdote » dicuntur. Laudes Deo deferuntur . . . Ubi venitur » ut conficiatur venerabile Sacramentum, jam non » suis sermonibus utitur Sacerdos, sed utitur Christi » sermonibus » ; Qui » dixit tunc : *nempe in ultima* » *cœna* (Hom. in Ramis Palm.), *sequitur Eusebius* » *Emissenus*, per se, et modo per suos Ministros, » *Hoc est Corpus meum* ; Et tanta est ejus verbi » virtus et efficacia, ut statim fiat quod dicitur.

§. 353. *Coroll.* Ex his clare patet, invocationem Spiritus Sancti ad perficiendam Eucharistiam necessariam non esse ; quod et ipsi Graeci in Concilio Florentino his verbis fassi sunt : ***Fateri nos diximus, per hæc verba transubstantiari sacrum panem, et fieri Corpus Christi sed postea quemadmodum, et ipsi*** (Latini), ***dicitis, Jube hæc perferri per manus S. Angeli tui in sublime altare tuum ; ita quoque nos oramus dicentes, ut Spiritus Sanctus descendat super nos, et efficiat in nobis panem hunc pretiosum Corpus Christi tui ; et quod in Calice isto est, pretiosum sanguinem Christi tui ; transmutetque ipsa Spiritu Sancto suo, ut fiat communicantibus in purgationem animae, in remissionem peccatorum, non fiant in judicium, aut condemnationem nostram.***

CAPUT XIV.

De Ministro, deque Subjecto Sacramenti Eucharistiæ.

§. 354. *Animad.* Minister, quoad hoc Sacramentum, duplex esse potest, *Consecrationis* nempe, et *Dispensationis*.

§. 355. *Def.* 1. *Minister Consecrationis ille Dicitur, qui potestatem a Jesu Christo habet, hoc Eucharistiae Sacramentum conficiendi.*

§. 356. *Def.* 2. *Minister dispensationis est ille qui facultatem habet hoc Sacramentum aliis dispensandi.* Et hic insuper alius est *primarius*, alius *secundarius* (Vid: §. 142. 143.). Porro quinam sit Minister Consecrationis hujus Sacramenti Eucharistiæ

Dissidium adest Hæreticos inter, et Catholicos.

§. 457. Marcus quidam Haereticus, unde Hæretici Marcitae dicti fuerunt, eo dementiae pervenit, teste S. Irenaeo (Lib. I. adv. Hæres Cap. IX.), ut mulieribus facultatem fecerit conficiendi, atque ministrandi Eucharistiam. Idipsum effutierunt quidam Haeretici dicti Collyridiani. Waldenses cuilibet Laico, dummodo probus esset, Sacerdotalis dignitatis munia peragere permittebant. Lutherus, quemlibet Christianum, docuit esse Sacerdotem, non debere autem tale officium quemlibet sibi arrogare, ut vitaretur confusio. Sed contra sentiunt Catholici, cum quibus sit.

PROPOSITIO I.

Solus Sacerdos rite ordinatus est Minister consecrationis, seu conficiendi Eucharistiam.

§. 358. Prob. Christus Dominus postquam ordinavit Apostolos Sacerdotes, dedit eis potestatem

Eucharistiam conficiendi, dicens (Lucæ XXIII. v. 19.): *Hoc facite in meam commemorationem;* Ergo solus Sacerdos.

§. 359. Prob: II. ex Conciliis. Concilium Lateranense sub Innocentio III. celebratum, ita statuit (Cap. I.): *Hoc Sacramentum, nemo potest conficere nisi Sacerdos, qui rite fuerit ordinatus secundum claves Ecclesiæ, quas ipse concessit Apostolis, eorumque successoribus Jesus Christus.* Idipsum habet Concilium Florentinum (in Dec: pro Armenis). Tandem Tridentina Synodus ita decrevit (Sess: 22. Can: 1. et 2.): *Si quis dixerit, illis verbis*, hoc facite in meam commemorationem, *Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi, aliique Sacerdotes offerrent Corpus, et sanguinem suum, anathema sit.*

§. 360. Dices. 1. Quando Christus instituit hoc Sacramentum; Omnibus dixit: *Hoc facite in meam commemorationem;* Ergo non solus Sacerdos etc.

§. 361. R. Christus omnibus quidem Apostolis, eorumque successoribus laudata verba direxit. Cum Apostolis namque antea desiderium aperuerat manducandi illud Pascha, illorum pedes lavit disponens eos ad Sacerdotale officium mundo corde suscipiendum; ipsos Sacerdotes ordinavit, et ipsis, eorumque successibus potestatem dedit Corporis, et sanguinis sui Sacramentum conficiendi.

Dices. 2. Verba illa (Matth: ult: 19.): *Baptizantes eos in nomine Patris* etc: in persona Apostolorum, dicta quoque fuerunt omnibus fidelibus; Ergo pariter verba illa: *Hoc facite etc.* dicta in persona Apostolorum, dicta fuerunt aliis omnibus; Adeoque etc.

§. 362. R. Cum Baptismus sit de necessitate medii ad salutem, ut nullus ab eo suscipiendo impediretur, voluit Christus Dominus, ut non solum Sacerdotes, sed et laici quoque, in casu tamen necessitatis, et deficiente Sacerdote, illum administrarent.

Non sic autem Eucharistia, quam pro sua praestantia, et dignitate, maxime cum de necessitate medii eam esse non vellet, solis Apostolis, eorumque Successoribus Presbyteris conficiendam commisit. Ita patet ex Conciliis, et Traditione, necnon communi, non interrupta praxi Ecclesiae.

PROPOSITIO II.

Solus quoque Sacerdos est Minister Ordinarius dispensationis Eucharistiæ, extraordinarius vero Diaconus.

§. 363. Prob. I. P. Confectio Eucharistiae ordinatur ad dispensationem; ait namque Christus (S. Lucas ibid.) Discipulis suis: *Accipite, et dividite inter vos*; Ergo ille solus facultatem ordinariam habet Eucharistiam dispensandi, qui est ordinarius minister eam conficiendi; Atqui talis est solus Sacerdos (§. 358.); Ergo solus quoque etc. Quapropter. *Semper in Ecclesia Dei mos fuit*, inquit Tridentina Synodus (Sess. XIII. Cap. VIII.), *ut Laici a Sacerdotibus Communionem acciperent, Sacerdotes autem celebrantes, seipsos communicarent: qui mos tanquam ex Traditione Apostolica descendens, jure ac merito retineri debet.*

§. 364. Prob. II. P. ex Concilio Carthaginensi IV. (Can. 38.), in quo ita legitur: *Diaconus præsente præsbytero, Eucharistiam Corporis Christi populo, si necessitas cogat, jussus eroget.*

§. 365. Dices. Ecclesiasticae testantur Historiæ, etiam Clericos in minoribus constitutos, imo quandoque etiam Laicos, fuisse Ministros dispensationis Eucharistiae; Ergo non solus etc.

§. 366. R. Id accidisse ex speciali commissione, et saeviente persecutione, ob penuriam superiorum Ministrorum; et ne fideles tam forti munimine, Sa-

cramento nempe Corporis Christi, in certamine, pro Fide subeundo, privarentur.

PROPOSITIO III.

Spectata hodierna Ecclesiæ disciplina, solus homo viator baptizatus et rationis compos, est Eucharistiæ subjectum.

§. 367. Exponitur, et simul probatur Propositio. Nam primo: ad salutem hominis viatoris Sacramenta sunt instituta (§. 13.); Ergo etc. Deinde speciatim de hoc Sacramento, dictum est a Domino: *accipite et comedite*: cadavera autem nec accipere possunt, nec edere, uti loquuntur Patres Concilii Carthaginensis III. (Anni 397. c. 6.); neque comprehensores edunt, aut bibunt. Secundo: Baptismus est omnium Sacramentorum janua; solus itaque homo baptizatus potest hoc Sacramentum suscipere. Tertio, Eucharistia est Sacramentum Corporis, et Sanguinis Christi sub speciebus panis, et vini; necesse est ergo ut qui hoc Sacramentum suscipiat, sit rationis compos, ut nempe sciat discernere Eucharistiam a quocumque alio usuali cibo, et dijudicare corpus Domini; Adeoque homo viator, baptizatus, et rationis compos est Eucharistiae subjectum. Apposite autem diximus *spectata hodierna Ecclesiæ disciplina*, quia aliquando per plura Sæcula Eucharistia fuit etiam parvulis, usu rationis carentibus, administrata.

Quaeres. *Quænam dispositiones requirantur ad Eucharistiam digne suscipiendam?*

§. 358. R. ad Eucharistiam digne suscipiendam sex dispositiones requiruntur; tres nempe ex parte corporis, et très ex parte animæ. Prima dispositio ex parte corporis, est *jejunium* a media nocte praecedente; ut nempe suscepturus hoc Sacramentum a media nocte se abstineat a gustanda quacumque re,

quae per modum cibi, et potus, per os in stomachum trajicitur, nisi aliter justa caussa postulaverit. Nam *licet Christus post Cœnam*, verba sunt Concilii Constantiensis (Anni 1615. Sess. 15.), *instituerit, et suis discipulis administraverit Eucharistiam sub utraque specie panis, et vini, tamen hoc non obstante, sacrorum Canonum auctoritas laudabilis, et approbata consuetudo Ecclesiae servavit, et servat, quod hujusmodi Sacramentum non debet confici post cœnam, nemque a Fidelibus recipit non jejunis, nisi in casu infirmitatis, aut alterius necessitatis, a jure vel Ecclesia concesso, vel admisso.* Secunda dispositio est *corporis mundities*, seu *castitas* et *puritas* ab omni carnis immunditia; Justum namque et rationabile est, ut qui ad immaculati agni cœnam gustandam accedunt, mundi sint atque immaculati. Tertia dispositio tandem ex parte Corporis, est modesta vultus, vestium, et totius corporis ad omnimodam modestiam compositio: Quare mulieres praesertim, inquit S. Carolus Borromaeus (In suis documentis.), ad Sacram Synaxim suscipiendam accedant, *non sumptuosis, non caudatis vestibus, non crinibus inaniter intortis, non fuco aut pigmentis vultu illito; non pectore nudo aut tenui velo obducto, sed ita vestitæ, ut ne praeter faciem quidquam nudum cernatur, velo denso bene super faciam dimisso. Omnes autem, genibus flexis, non pectore, brachiisque scabello inixi.* Atque haec quoad Corporis dispositiones. Quoad vero animae dispositiones; prima est gratia habitualis, et sanctificans, excludens ab anima omne grave peccatum, figurata in veste nuptiali, sine qua inventus quidam in convivio, quod Paterfamilias Evangelii (Matth. Cap. XXII. v. 13.) paraverat, ejectus fuit in tenebras exteriores. Hinc Apostolus, exactam, atque diligentissimam conscientiæ probationem praemittendam esse vult ab iis, qui hoc Sacramentum suscipere volunt, dicens (Ad Cor: Cap. XI.

v. 28.): *Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat: Qui enim manducat, et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini.* 2. Dispositio est immunitas ab affectu peccati venialis. Nam, ex Tridentino (Sess. XIII. Cap. 2.), Christus Dominus, *sumi voluit hoc Socramentum, tamquam antidotum, quo liberamur a culpis quotidianis*; hic autem Sacramenti effectus obtineri nequit, cum quis affectum ad veniale habet. 3. tandem dispositio est singularis reverentia erga Jesum Christum in Sacramento praesentem; *Quia in hoc Sacramento*, ait Seraphicus Doctor (Tract. de praeparat. Missae), *præsens est Divina Majestas, debet, recipi cum honore.*

Quaeres. *Quinam sint principales effectus Sacramenti Eucharistiae?*

§. 369. R. sunt sequentes, qui a nostro Richardo his versibus comprehenduntur:

Inflammat, memorat, sustentat, roborat, auget
Hostia, spem reficit, purgat, vitamque dat, et unit:
Confirmatque fidem, munit, fomitemque remittit.

Et 1. quidem Sacramentum inflammat cor suscipientis amore Divino; unde cum Sponsa, suscipiens Eucharistiam dicere possit (Can: II. 16.): *Dilectus meus mihi, et ego illi;* 2. memorat Divina beneficia a Deo nobis collata: Unde de ea in spiritu loquens Propheta David (Ps. 110. 4.): Dixit: *Memoriam fecit mirabilium suorum, misericors, et miserator Dominus, escam dedit timentibus se*; atque illud praesertim vel maximum beneficium Passionis et mortis Christi pro hominum redemptione, et salute, juxta illud: *Hoc facite in meam commemorationem.* 3. Animam sustentat, eique robur non modicum confert, quo adversus undique furentes humani generis hostes imperterrite stet, illosque vincat; Unde fidens anima ei dicere possit cum citato Propheta: *Non timebo mala quoniam tu mecum es* (Psal: XXII. v. 4.) *Parasti in*

conspectu meo mensam adversus omnes qui tribulant me (ibid : v. 6.). 4. Auget gratiam, imo gratiae ipsius auctorem confert, Dominum nostrum qui seipsum dat nobis in cibum. 5. Spem reficit, tum quia promissionem habet aeternae vitae, juxta illud (Joan: VI. v. 59.) : *Qui manducat hunc panem vivet in aeternum* ; tum quia est pignus futurae gloriae nobis promissae. 6. purgat vitia ; unde et a Patribus medicamentum dicitur omnia purgans vitia, et omnia pellens mala. 7. *dat vitam* ; spiritualem nempe ; *Nam hic est panis*, ait Christus ipse (Joan: VI. v. 50.) *de Cœlo descendens, ut, si quis ex ipso manducet non moriatur*. Unde Tridentina Synodus (Ses : 13. Cap. 2.), vocat Eucharistiam *Antidotum, quo liberamur a culpis quotidianis venialibus, et a peccatis mortalibus praeservamur*. 8. *Unit*, quatenus Eucharistia, suscipientes Christo unit, eosque veluti unum cum eo efficit. 9. *Confimat* in fide ; Unde et, de discipulis euntibus in Emmanus legitur (Lucæ. XXIV. v. 35.) Quod *cognoverunt eum in fractione panis*. 10. *Munit* animam adversus Mundi hujus pericula, et *malorum insurrectiones*, ut dicere possit cum Apostolo (Phil: IV. 13.) *Omnia possum in eo, qui me confortat* ; 11. tandem fomitem carnalis concupiscentiae ; saltem indirecte, remittit, uti docent Sancti Patres.

CAPUT XV.

De Eucharistiæ necessitate, atque usu.

§. 370. *Animad.* Circa Eucharistiae necessitatem varii variâ senserunt. Putarunt nonnulli, Eucharistiam necessariam esse necessitate medii ad salutem in voto ; alii in re ; vel ad minus in voto ; hancque fuisse quoque multorum antiquorum Ecclesiae Patrum sensententiam asserere non dubitarunt Novatores Calvinistae, addentes, ideo factum fuisse ut per tot sæ-

cula infantibus quoque simul cum Baptismo Eucharistia administrata fuerit. Putant alii e contra, Eucharistiam neque in re, neque in voto necessitate medii, necessariam esse, sed tantum praecepti. Circa vero ejus usum, non una pariter fuit Scriptorum sententia. Et quidem, quidquid sit de Luthero, qui in hac re varius semper fuit et inconstans, Petrus Dresdensis, Jacobellus Misnensis, Joannes Hus, et ex hujus cineribus exortae Sectae Taboritarum, atque Calixtionorum, usum calicis tenendum esse propugnarunt. Quibus suum addidit calculum Calvinus. Circa usum quoque frequentiorem, aut rariorem, vel ipsi SS. Ecclesiæ Patres varie scripserunt. Quid nos tenendum esse judicamus, ex sequentibus, mox patebit. Sit propterea.

PROPOSITIO I.

Eucharistia neque in re neque in voto necessaria est necessitate medii ad salutem.

§. 371. Prob. Nam Eucharistia non confert primam gratiam, sed secundam (§. 120.); antequam ergo quis eam recipiat, et quin eam recipiat, jam praesupponitur in gratia habituali, et sanctificante; Atque hinc in statu salutem aeternam consequendi. De facto ait Christus (Marci ult.): *Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit;* et loquens Apostolus de his qui jam per Baptismum, gratiam sanctificantem consequuti sunt, inquit (Roman. Cap. VIII. v. 1.); *Nihil damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu* (Ad Galatas Cap. III. v. 27.): *Qui in Christo baptizati estis Christum induistis* (Ad Titum Cap. III. v. 5.): *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis;* Ergo etc: Quare Tridentina Synodus hunc edidit Canonem (Sess. XXI. Can. 4.): *Si quis dixerit parvulis, antequam ad annos discretionis pervene-*

rint, *necessariam esse Communionem*, *anathema sit.* Ergo etc.

§. 372. Objic. Illud Sacramentum est necessarium necessitate medii ad salutem, sine quo sive in re, sive in voto, salus aeterna nequit obtineri; Atqui tale est Eucharistiae Sacramentum, dicente Christo (Joann. Cap. IV. v. 54.): *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis ejus sanguinem non habebitis vitam in vobis*; Ergo etc.

§. 373. R. conc. maj., neg. min. in sensu explicando, et consm. Ex laudato Christi Domini oraculo nihil aliud erui potest, quam adesse praeceptum divinum sumendi Eucharistiam, quod ultro concedimus, non vero Eucharistiam necessariam esse necessitate medii. Et sane, vel per vitam laudato in loco intelligere volumus gratiam sanctificantem, quae optime vita animae dicitur, et certum est, ad hanc vitam obtinendam, necessariam non esse necessitate medii Eucharistiam; quin etiam certum est, vitam hanc necessario praerequiri ad digne suscipiendam Eucharistiam, cum sine ea mors potius animae Eucharistia sit, quam vita; vel per vitam intelligere volumus vitam aeternam, et patet, Eucharistiam ad eam necessitate medii necessariam non esse, quia anima, gratia sanctificante ditata, jam est hæres vitae aeternae, et quisque in gratia existens, si moritur, vitam aeternam obtinet; Ergo etc.

§. 374. *Contra.* Atqui ex adductis Christi Domini verbis eruitur, Eucharistiam esse neccessariam necessitate medii; Ergo n. r. Prob. subsm. Ex consimilibus verbis, nempe: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto non potest introire in regnum Dei* (Joann. Cap. III. v. 3.), deducunt Catholici, Baptismum necessarium esse necessitate medii ad salutem; Ergo ex adductis verbis etiam eruitur etc.

§. 375. R. Sacramentorum necessitas non pendet tantum ex loquendi modo, quo utitur Sacra Scrip-

tura, sed ex ipsorum natura, atque institutione. Quia ergo Baptismus ad hoc est institutus, ut hominem a statu peccati ad statum gratiae sanctificantis transferat, sine qua salus aeterna obtineri nequit, ideo necessarius dicitur necessitate medii; Eucharistia vero cum ad hoc non sit destinata, ideo non dicitur necessaria necessitate medii (1).

PROPOSITIO II.

Eucharistia est adultis necessaria necessitate præcepti tum Divini, cum Ecclesiastici.

§. 376. Prob. I. P. Christus Dominus apud Joannem (Joannis Cap. VI. v. 54.) ait: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis;* Ergo etc. Rursus ipsemet, Apostolis Eucharistiam cum distribuisset, eis praecepit, dicens (Ecclesia Can. Missae.) *Hæc quotiescumque feceritis in mei memoriam facietis*; Ergo Eucharistia necessaria est, etc.

§. 377. Prob. II. P. Ab exordio nascentis Ecclesiae semper extitit praeceptum de Eucharistia sumenda, varium tamen pro varietate temporum; nunc autem semel saltem in anno, et quidem in Paschate omnes qui ad annos discretionis venerint, obligat (§. 273. T. V.); Ergo etc.

---

(1) Vid. Tournely de Euchar. Q. VI. art. I. Frassen. Tract. II. ibid. Disp. I. art. III. Sect. I. Q. I.

PROPOSITIO III.

Eucharistia administranda non est sub utraque specie.

§. 378. Prob. ex Conciliis. In Concilio namque Constantiensi, ita legitur (Sess. XIII.) *Licet in primitiva Ecclesia hujusmodi Sacramentum*, nempe Eucharistiae, *reciperetur a fidelibus sub utraque specie; tamen hæc consuetudo ad evitanda aliqua pericula, et scandala, est rationabiliter introducta, quod a conficientibus sub utraque specie, et a Laicis tantummodo sub specie panis suscipiatur, cum firmissime credendum sit, et nullatenus dubitandum, integrum Christi Corpus, et sanguinem tam sub specie panis, quam sub specie vini veraciter contineri. Unde cum hujusmodi consuetudo, ab Ecclesia, et SS. Patribus rationabiliter introducta, et diutissime observata sit, habenda est pro lege, quam non licet reprobare, aut sine Ecclesiae auctoritate, pro libito mutare.* Idipsum repetit, et confirmat Tridentinum (Sess. XXII. Can. 2.); Ergo etc.

Adversariorum objectiones solvuntur.

§. 379. Objic: 1. Eucharistia sub utraque specie praecepto Christi administranda est; dixit namque (Ut supra): *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*: Igitur falsa Propositio.

§. 380. R. Christus laudatis verbis nihil aliud præcepit quam integram sui Corporis, et Sanguinis sumptionem; Cum ergo fide Divina (§. 378.) firmissime credendum sit, et nullimode dubitandum, integrum Christi Corpus, et sanguinem tam sub specie panis, quam sub specie vini veraciter contine-

ri, laudato praecepto Divino satisfacimus, licet sub una specie Eucharistia administretur (1).

§. 381. *Contra.* Atqui Christus etiam sui sanguinis sumptionem omnibus præcepit; Ergo n. r. Prob: subsm. Christus Dominus, postquam calicem consecravit, dixit (Matth: 26. v. 27.): *Bibite ex hoc omnes*; Ergo etc.

§. 382. R. admitt: auct: dist: sensum; Et per ly *omnes* ibi intelliguntur Apostoli tantummodo, conc: omnes omnino fideles, n.; Ergo etc:, n. consm. Si per ly *omnes* ibi omnes quoque fideles intelligerentur, dicendum quoque foret, omnes fideles esse hujus Sacramenti Ministros; quod falsum est. Per *omnes* ergo, ibi, soli Apostoli intelliguntur, quibus Christus Dominus loquebatur. Et sane ubi nostra Vulgata habet: *bibite ex eos omnes*, Syrus vertit: *Bibite ex hoc vos omnes*; disciptuli, nempe, et Apostoli mei.

§. 383. *Contra.* Atqui non solis Apostolis, sed omnibus usum calicis, laudatis verbis, praecepit; Ergo n. r. Prob: subm. Non magis dixit Christus, dum dedit Corpus suum ad manducandum: *Accipite, et comedite*, quam cum dedit Sanguinem suum ad bibendum: *Bibite ex eo omnes.* Si Ergo dixit simpliciter Christus de suo corpore: *Accipite et comedite*; et omnes tenentur Eucharistiam sumere; multo magis dicens de suo sanguine: *Bibite xe eo omnes*, omnes vi hujus præcepti divini tenentur illam sub specie vini etiam accipere; adeoque etc.

§. 384. R. admitt: antec. n. consam utramque. Tota vis laudati argumenti reposita est in illa voce *omnes*, quae Christus adjecit, dum Calicem Apostolis ad bibendum suum Sanguinem porrexit. Sed si factum tantisper expendatur, veluti vento rapta, omnis

---

(1) Vid: Frassen ut supra Q. N. Antoinè de Euch. Cap. V. art. IV. Tournely. Q. VI. art. II.

difficultas evanescet. Et sane, quando Christus dedit Corpus suum sub speciebus panis, jam in partes panem fregerat, et distribuens unicuique discipulo partem unam, dixit: *Accipite* et *comedite*: *Hoc est corpus meum*. Quare non fuit necesse ut adderet *omnes*. Cum vero sanguinem ad bibendum porrexit, quoniam hic Sanguis in uno calice continebatur; ne unus totum vinum biberet, sed solum portionem aliquam, ita ut omnes, et singuli, unus post unum, de calice sanguinis ejus biberent, admonitionem Christus praemisit, dicens: *Bibite ex eo omnes*, veluti si diceret: de isto Calice omnes bibant, unusquisque portionem suam. Nihil ergo ex argumento allato contra nostram thesim conficitur.

§. 385. Objic: 2. Quod Christus concessit, ab Ecclesia prohiberi non potest. Sed Christus, omnibus Calicis usum concessit; Ergo ab Ecclesia Calicis usus prohiberi non potest; adeoque falsa Propositio.

§. 386. R. dist: maj: Quod etc: absolute, et independenter, conc:, secus n. maj. et dist. min: Atqui etc: independenter n. secus, conc: ergo etc. n. utramque consam. Christus Dominus concessit quidem omnibus fidelibus ut de calice biberent, et Ecclesia primitiva usum dandi Eucharistiam sub utraque specie per plura sæcula retinuit, et ita quidem communiter, ut etiam fere pueris sub specie vini administraretur; verum hæc Christi concessio non fuit absoluta, nisi pro solis Apostolis, et Sacerdotibus, pro aliis vero fidelibus fuit dependenter ab Ecclesia. Cum namque dedisset Christus Ecclesiae suæ potestatem ligandi atque solvendi, gubernandi fideles, et ritus sacros, quoad Sacramentorum administrationem, ceteraque ad divinum cultum spectantia determinandi, dedit ei quoque potestatem, usum Calicis omnibus fidelibus non conficientibus prohibendi, quoties ei visum fuisset expedire, quod et jam justis de causis fecisse Ecclesiam, ostendunt Theologi: Quare a Tridentina Synodo ita statutum legitur (Sess: 21. Can:

2.): *Si quis dixerit, Sanctam Ecclesiam Catholicam, non justis causis et rationibus adductam fuisse, ut laicos atque etiam clericos non conficientes, sub panis tantummodo specie communicaret, aut in eo errasse, anathema sit.*

§. 387. *Contra.* Atqui Ecclesia usum Calicis, quem Christus concessit, prohibere non potuit; Ergo n. r. Prob: subsm. Ecclesia nequit destruere Sacramenti Eucharistiae naturam; Sed destrueret si usum Calicis omnibus non conficientibus prohiberet; Ergo etc. Prob: min. Eucharistia est Sacramentum corporis, et sanguinis Christi sub speciebus panis, et vini. Si ergo Ecclesia usum calicis prohiberet, fideles non susciperet integrum Sacramentum; Ergo etc.

§. 388. R. conc: maj: dist: 1. cons. fideles non susciperent totum Sacramentum ex parte signi, conc: ex parte rei significatae, n. utramque consm. Si Eucharistiae Sacramentum ex parte signi spectemus, ex parte scilicet specierum panis et vini, videbitur fidelis totum Sacramentum non sumere, species vini non sumendo, at si spectetur ex parte rei significatæ, Corporis nempe, et Sanguinis Jesu Christi, *cum firmissime credendum sit*, ait Synodus Constantiensis (Sess: 13.), *et nullatenus dubitandum, integrum Christi Corpus, et sanguinem tam sub specie panis, quam sub specie vini veraciter contineri;* totum, atque integrum recipit Sacramentum.

§. 389. *Contra.* Atqui integrum Sacramentum Eucharistia non esset, ablato usu Calicis; Ergo stat argum. Prob: subsm. Eucharistia fuit a Christo domino instituta ut esset memoriale Passionis ejus; Sed Christi Passio non adumbratur, nisi sanguis sumatur a corpore separatus; Ergo etc.

§ 390. R. conc: maj: n. min: cum consa. Esto magis et proprie Christi Passio adumbretur, sumendo Eucharistiam sub utraque specie, negandum tamen est, illam penitus non adumbrari, Eucharistiam

sub specie panis tantum sumendo. Nam etiam de Eucharistiae Sacramento sub speciebus tantum panis in ciborio asservato dicit Ecclesia, quod sit Passionis Christi memoriale; unde et de illo canit; *O Sacrum convivium in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis ejus, mens impletur gratia, et futuræ gloriæ nobis pignus datur.*

Quæres. *An dentur casus, in quibus possit Laicus sub vini etiam specie Eucharistiam suscipere?*

§. 391. R. affirm: Et primus est, si adsit dispensatio Summi Pontificis. Ita ex dispensatione Clementis V. Rex Christianissimus potest sub utraque specie communicare; atque similiter ex privilegio, ita communicat Imperator, dum coronatur. Ita etiam Diaconus, et Subdiaconus, dum assistunt Papæ solemniter celebranti. Secundus est, si Calix foret ab Hæreticis vel Paganis profanandus. Tertius tandem est, si nullus Sacerdos, sanguinem in terram effusum vellet lambere.

PROPOSITIO IV.

Si Eucharistia absolute spectetur, ejus usus frequentissimus esse debet, secus vero, si relate ad dispositiones suscipientis.

§. 392. Prob. I. P. Nam Eucharistia ex sua natura, et Christi institutione innumeros, atque admirabiles in illis, qui digne eam suscipiunt producit effectus (§. 369.) Ergo etc. Quare *optaret S. Synodus*, Tridentina, *ut in singulis Missis, fideles adstantes, non solum spirituali affectu, sed Sacramentali etiam Eucharistiæ receptione communicarent;* Itaque antiqui Sancti Patres, frequentem Eucharistiae susceptionem summopere commendarunt. Et sane S. Ambrosius (Lib: V. de Sac: c. 4.) ita scribit: Si quotidianus est » panis, cur post annum illum sumis? quotidie ac pe

» ut quotidie tibi prosit; sic vive ut quotidie merea-
». ris accipere. Et S. Basilius (Epist. ad Cesaream
» Patriciam):, Singulis certe diebus comunicare, et
» participem esse Corporis, et sanguinis Christi, bo-
» num et fructuosum est ». Sed cum distinctione circa rem hanc, et clarissime se explicat Seraphicus Doctor, qui sic scribit (in IV. dist: 12. p: 2. q. 3.): *Si quæritur utrum expediat frequentare Eucharistiam alicui? Dicendum quod si viderit se esse in statu Ecclesiæ primitivæ, laudandum est quotidie communicare; si autem in statu Ecclesiæ finalis, utpote frigidum, et tardum, laudandum est quod raro, si autem in medio modo, medio modo debet se habere, et aliquando debet cessare ut addiscat revereri, aliquando accedere ut inflammetur amore.* Ergo etc.

Quæres. *An sit aliqua Regula generalis circa permissionem Communionis?*

§. 393. R. affirm: Nam 1. frequenter permittenda non est illis, qui faciliter in peccata mortalia prolabuntur, quamvis de illis pœniteant, nec in occasione proxima peccandi versentur, atque ex frequenti communione, nulla malæ vitæ emendatio videatur. Hinc Innocentius XI. hanc damnavit Propositionem: *Frequens Confessio etiam in iis, qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis.* II. Conjugatis, devote viventibus, neque terrenis negotiis implicatis, quolibet die Dominico, vel si occurrerit etiam aliquod Festum infra hebdomadam, prudens Confessarius Communionem concedere potest. III. Bis aut etiam ter in hebdomada Communio concedi potest illis, qui soluti sunt, atque orationi, aliisque pietatis operibus instant; vitamque cum Christo absconditam degunt, Deo servientes. Aliis vero, Confessarius pro sua prudentia providebit.

CAPUT XVI.

De essentia Sacrificii Eucharistici.

§. 394. *Animad.* Eucharistiam esse, non solum unum ex septem Ecclesiæ Sacramentis, sed verum etiam ac proprie dictum Novæ Legis sacrificium, et Scripturae, et Patres, et Concilia manifestissime demonstrant; Unde Tridentina Synodus, inquit (Sess. 23. c. 24.): *Si quis dixerit in Missa non offerri Deo verum, et proprium Sacrificium, anathema sit.* Quod hic statuendum venit, est, in quo consistat essentia Sacrificii Eucharistiae, seu Missæ. Pro cujus rei aliqua dilucidatione, prænotandum est, quid sit Sacrificium, quid Missa, quaeque actiones in Missæ sacrificio interveniant.

§. 395. *Def:* 1. *Sacrificium*, stricte sumptum, *est oblatio externa rei sensibilis legitime instituta, et a legitimo Ministro facta Deo per realem ejus immutationem ad testandum ejus supremum dominium in omnia, ac præsertim in vitam, et in mortem.*

§. 396. *Schol*: Sacrificium, quod hic spectat, duplex est; *cruentum* nempe, quod sanguinis effusione; *incruentum* vero, quod sine ea perficitur.

§. 397. *Def:* 2. *Missa est Sacrificium incruentum corporis, et sanguinis Jesu Christi sub speciebus panis et vini.*

§. 398. *Schol*: In hoc sacrificio variae actiones interveniunt, veluti oblatio Corporis Christi post consecrationem, quando Sacerdos dicit; *Unde et memores* etc.; specierum mixtio, fractio, distributio; Sacerdotis denique communio. In quanam ergo hujus Sacrificii Eucharistici, seu Missae actione consistit ejus essentia? Difficilis quæstio! attamen sit.

PROPOSITIO

Adæquata Sacrificii Eucharistici essentia in sola Consecratione consistit.

§. 399. Prob. In nulla alia actione Sacrificii Eucharistici, præterquam in Consecratione, ejus essentia consistere potest; Ergo etc. Prob. ans. Essentia Sacrificii Missae non potest consistere in prima oblatione panis et vini, quia tunc non est Christus; non in secunda, quia nulla intervenit immutatio; non in specierum mixtione, quia haec non legitur a Christo usurpata, neque necesse est omnino a nobis usurpari; unde si accidit, ut hostia integra decidat in calicem, omittitur fractio; non in distributione, quia plures sunt Sacrificii, in quibus solus Sacerdos communicat, quam Laici Sacram Communionem accipiant; Ergo etc. Prob. consequentia. Consecrationi conveniunt omnia quae ad stricte susceptum Sacrificum constituendum praerequiruntur; est enim *oblatio*, non quidem explicita, sed implicita; *rei sensibilis*, corporis nempe, et sanguinis Jesu Christi sub speciebus sensibilius panis et vini; *legitime instituta* ab ipso Christo nempe: *Hoc facite in meam commemorationem; a legitimo ministro*, Sacerdote nempe (§. 395.); *facta Deo*; quia nulla actio tam competit fieri Deo, quam consecratio; ut proinde illi soli fieri debeat; *per realem ejus immutationem*, quia in Consecratione, vi verborum, separatur corpus a sanguine, et Christus ponitur ut immolatus; unde et hostia destruitur; *ad testificandum ejus supremum dominium super omnia; ac præsertim in vitam, et mortem*, quod maxime verificatur in Consecratione. Ea enim ostenditur Deus auctor vitae, quia Christus per Consecrationem accipit esse (sacramentale nempe), quod antea non habebat; mortis vero, quatenus ibi

existit Christus modo quodam mortuo, et ad destructionem ordinato; Igitur etc.

Quaeres. *Utrum Sacerdotes teneantur offerre Missæ sacrificium?*

§. 400. R. Omnes et singuli simplices Sacerdotes qui aliunde Missam celebrandi onus non habent, tenentur aliquando Missæ sacrificium offerre. Nam Christus hoc Sacrificium instituens, jussit ut offeretur a Sacerdotibus; Dixit enim: *hoc facite in meam commemorationem*; Unde Tridentina Synodus (1), ait: *Curet Episcopus, ut Sacerdotes, saltem diebus Dominicis, et festis solemnibus. . . . Missas celebrent.* Ex quo concludit Angelicus Doctor (P. 3. q. 82. art: 10.), dicens: « Unde Sacerdoti, etiamsi non » habent curam animarum, non licet omnino a ce- » lebratione cessare ».

Quaeres. *Quoties debet Sacerdos celebrare ut evitet peccatum mortale?*

§. 401. R. Certo per Theologos definiri non potest, tanta est Auctorum de hac re discrepantia. Etenim volunt aliqui, illum teneri saltem in anno, alii ter, alii pluries. Quid concludendum, resolvat lector postquam mala quæ agat Sacerdos, omittendo Missae celebrationem, perpenderit ex Venerabili Beda (in c. 2. Act: Apost:), qui sic ait «: Sacerdos le- » gitime non impeditus, celebrare prætermittens, pri- » vat, quantum in se est, B. Trinitatem laude et glo- » ria, Angelos lætitia, Peccatores venia, justos subsi- » dio et gratia; in Purgatorio existens subsidio, et re- » frigerio ». Quod si fuerint sacerdotes sanctitate præditi, qui vix in vita aliquando celebraverint; dicen-

(1) Quae hic desiderantur, alia dicta jam sunt, in Tractatu de Exteriori Dei Cultu; alia in illo de Presbyteratu explicabuntur. Qui fusius dicta perlegere cupit, consulat Auctores passim citatos.

dum id eos vel fecisse ex divina inspiratione, et consensu; vel quia forsan putabant se esse vere indignos, atque hinc legitime impeditos.

TRACTATUS III.

De Sacramentis Poenitentiae, et Extremae Unctionis.

§. 402. Per Sacramenta Baptismi, Confirmatonis et Eucharistiae, licet Christus Dominus de gratia, et mediis homini providisset, queis, et a culpis praecavere, et bona faciendo vitam aeternam consequi posset; *recordatus* tamen *quoniam pulvis sumus*; (Psal: 102. v. 14.) et *homo sicut foenum dies ejus, tamquam flos agri sic efflorebit*, faciles, proinde, qui cupiditatibus illecti, vel tentationibus victi, vel infirmitatibus fracti, ab arcta via, quae ducit ad vitam discendentes, et latam peccatorum viam ingrediamur quae ducit ad interitum, et peccatores iterum propria culpa constituamur: miserator et misericors Pater, qui ut medicus, omnes infirmitates, atque languores nostros curare venerat, Sacramentum aliud instituit, Pœnitentiam nempe, qua veluti secunda post naufragium tabula, rite utentes, fit ne in profundum maris Infernalis demergamur. De hoc ergo Sacramento, sicuti et illo quoque Extremae Unctionis agere volentes, omni studio conabimur, quae rite et catholice tenenda sunt, exponere fideliter, atque declarare.

CAPUT I.

De Pœnitentiæ natura.

§. 403. *Animad. Pœnitentia*, quidquid obganniant Heterodoxi, Lutherus maxime, et Calvinus, *appellata est*, scribit S. Isidorus (Lib: IV. Orig. Cap. ult:) *quasi punientia*, eo quod ipse homo se puniat poenitendo, quod male admisit; nam aliud nihil agunt, quos veraciter poenitet, nisi ut id quod male fecerunt, impunitum esse non sinant.

§. 404. *Schol*: Poenitentia dupliciter considerari potest; et uti *virtus*, nempe, et uti *Sacramentum*.

§. 405. *Def*: 1. *Pœnitentia*, uti Virtus, *est virtus, qua ex animo dolemus de peccatis commissis, quatenus sunt offensa Dei cum proposito efficaci ca non amplius committendi, et pro eis Divinæ justitiæ satisfaciendi.*

§. 406. *Def*: 2. *Pœnitentia*, uti Sacramentum, *Est Novæ Legis Sacramentum a Christo Domino institutum ad remittenda peccata post Baptismum commissa, per actus pœnitentis, et legitimi Sacerdotis absolutionem.* Ita Theologi Catholici. Verum

Dissidium adest inter Hæreticos.

§. 407. Nam Montanistæ, teste Tertulliano (Libro de Pudicitia.), quaedam graviora peccata mortalia in Deum admissa, ab Ecclesia condonari non posse docuerunt. Novatiani nullum omnino peccatum post Baptismum commissum per Ecclesiæ auctoritatem remitti posse dixerunt. Wicleffus, Joannes Hus, aliique eorum sectatores, Sacerdotem vere non absolvere effutierunt. Lutherus hac in re fuit varius, aliquando scilicet admisit, aliquando respuit Poenitentiæ Sacramentum, cujus inconstantiam sequutus est Melacthon. Calvinus tandem, ut alios brevitatis gratia praeterea-

mus, Sacramentum Poenitentiae, cum Sacramento Baptismi confundit; docuit namque dicens (Lib. IV. Inst. Cap. 19.): *Aptissime dixeris, si Baptismum vocaveris pœnitentiæ Sacramentum, cum in confirmationem gratiæ, et fiduciæ sigillum iis datum sit, qui pœnitentiam meditantur.* Heu humanae perfidiae portenta!

PROPOSITIO I.

Ecclesiæ, ejusque Pastoribus a Christo potestas data fuit, omnia, et cujuslibet generis peccata remittendi.

§. 408. Prob. ex Scripturis. Christus Dominus dixit Petro (Matth. Cap. XVI. v. 19.): *Tibi dabo Claves regni Cœlorum; et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in Cœlis, et quodcumque solveris super terram erit solutum et in Cœlis;* Eamdemque facultatem Petro confirmans, aliisque Apostolis promittens „ inquit (Ibid. Cap. XVIII. v. 18.): *Amen dico vobis, quaecumque alligaveritis super terram erunt ligata et in Cœlo; et quaecumque solveritis super terram erunt soluta et in Cœlo*: Nullam ergo distinctionem fecit Christus inter peccata levia, et gravia, graviora, et gravissima; *Quaecumque*, dixit, *alligaveritis; quæcumque solveritis etc.* Deinde quam indeterminatam potestatem promiserat Apostolis dimittendi peccata, eam et ipsis de facto concessit: Ait namque illis (Joann. Cap. XX. v. 21.): *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis; et quorum retinueritis retenta sunt. Quo tam insigni facto*, inquit Tridentina Synodus (Sess. XIV. Cap. X.), *et tam verbis perspicuis, potestatem remittendi, et retinendi peccata, ad reconciliandos fideles post Baptismum lapsos, Apostolis, et eorum successoribus fuisse com-*

municatum, universorum Patrum consensus semper intellexit: et Novatianos remittendi potestatem olim pertinaciter negantes, magna ratione Ecclesia Catholica tanquam hæreticos explosit, atque condemnavit: Ergo etc.

§. 409. Objic. Nullus peccata in Dominum commissa remittere potest; legitur enim (I. Reg. Cap. II. v. 25.): *Si peccaverit vir in virum, placari ei poterit Deus, si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo?* Ergo etc.

§. 410. R. dist. ans. Nullus qui a Domino potestatem non habeat, peccata etc. remittere potest: conc., secus, n. ans cum consa. Quidquid fuit de veteri Lege, videant Eruditi; illud omnino ex fide certum est, Christum Dominum Ecclesiæ suae, ejusque Prælatis, et Pastoribus potestatem dedisse retinendi aut remittendi quaecumque peccata, et cujuscumque generis, et malitiae ea fuerint. Ad illud quod ex Scriptura adducitur, respondet S. Ambrosius, dicens (Lib. I. de Pœnit. Cap. IX.) *scriptum non esse; Nullus orabit pro eo; sed quis orabit? Hoc est, quis sit ille qui in tali causa debet orare, quæritur, non excluditur . . . . Nam singularis vitæ aliquis debet orare pro eo qui peccavit in Dominum; quo enim major culpa, eo majora sunt quærenda suffragia.* Et hoc quidem in Veteri Lege, in qua ex opere operantis Sacramenta gratiam conferebant; in nova autem Lege in qua ex opere operato Sacramenta gratiam conferunt (§. 104.); et Deus, uti ajebat laudatus Ambrosius, inter peccata, distinctionem non fecit, sed (Ibid. Cap. 3. alias 2.) *misericordiam suam promisit omnibus, et relaxandi licentiam Sacerdotibus suis, sine ulla exceptione concessit*, non sic. Ad pedes sui Sacerdotis accedit pœnitens cum debitis dispositionibus; confitetur peccata sua, et audire meretur: *Absolvo te ab omnibus peccatis tuis.* Non solum proinde invenit, qui pro se orat, etsi

peccata innumera in Dominum commiserit, sed qui eum de facto a peccatis absolvit.

§. 411. *Contra.* Atqui etiam in Nova Lege dantur peccata, quæ remitti a quocumque non possunt; Ergo n. r. Prob. subsm. S Joannes Evangelista ait (Epist. I. Cap. V. v. 16.): *qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, et dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget quis*; ergo peccata ad mortem, hoc est mortalia, nequeunt remitti; Adeoque etc.

§. 412. R. cum S. Augustino (Libro de Corrept. et gratia Cap. XII.): *De peccato ad mortem quoniam expressum non est, possunt multa, et diversa sentiri, ego autem dico, id esse peccatum, fidem quæ per dilectionem operatur deserere usque ad mortem* hoc est impoenitentia finalis. Et sane qui moritur impoenitens, remissionem peccatorum obtinere non potest, quia post hanc vitam non datur locus Poenitentiae, neque uti virtus est, neque ut Sacramentum; frustraneum igitur esset orare pro illo.

§. 413. *Contra.* Atqui non solum impoenitentia finalis dicitur peccatum irremisibile, sed alia quoque peccata mortalia; Ergo etc. Prob. subsm. Apostolus ad Hebræos scribens, ait (Cap. XI. v. 26.): *Voluntarie peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia: terribilis autem quædam expectatio judicii etc.* Ergo non solum etc.

§. 414. R. dist. sensum auctoritatis: Voluntarie etc., et per peccantes hic intelligit Apostolus Judæos apostatas a Religione, quasi alius esset Messias venturus, et alia hostia pro peccatis offerenda, conc., secus, n.; Ergo etc., n. consm. Volens Apostolus, Judæos in suscepta Christiana Religione constabilire, ne desererent collectiones, hoc est Ecclesiam Christianam, sicut consuetudinis erat quibusdam (Ibid. v. 25.), ait pro

dictis Hebraeis, qui post acceptam notitiam veritatis apostatarent a Fide, pro peccato non reliqui hostiam, hoc est aliam Christi mortem, et aliud Baptisma; *Una enim oblatione, Christus, in sempiternum consumavit sanctificatos* (Ibid v. 14.). *Ante enim reparationem* (Exposit. in hunc loc), ait Angelicus Doctor, *quæ facta est per Christum, relinquebatur hostia ista, quæ expectabatur: sed nunc jam non expectatur alia mors ejus: ita nec per Baptismum semel acceptum expectatur alius Baptismus.* Non ergo negatur peccatorum remissio laudato in textu; Adeoque etc. (1).

PROPOSITIO II.

Pœnitentia est verum Novæ Legis Sacramentum.

§. 415. Prob. Nam in Pœnitentia, prout est descripta (§. 406.), inveniuntur omnes conditiones ad verum Sacramentum. Atque in primis adest signum sensibile tum ex parte pœnitentis, qui sensibilibus signis peccata sua detegit, et internum animi dolorem manifestat, cum ex parte Sacerdotis ministrantis, qui per certa, atque determinata verba, illum absolvit; adest 3. institutio divina, et promissio gratiæ; Christus enim, uti narrat S. Joannes Evangelista (Cap. XX. v. 22.): *Insufflavit in discipulos suos, et dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata remittuntur eis, quorum retinueritis retenta sunt.* Ergo etc. Hinc Tridentina Synodus ita decrevit (Sess. XIV. Can. 1.): *Si quis dixerit, in Catholica Ecclesia, Pœnitentiam non*

---

(1) Vid. Frassen de Penit. Disp. II. Art. I. Sect. III. q. I. Boucat Tomo VI. Dissert. IV. Sect. III. Tournely Tomo IX. q. II. Art. I.

esse vere, et proprie Sacramentum pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, a Christo Domino institutum, anathema sit. Et rursus. *Si quis dixerit, verba illa Domini Salvatoris*: Accipite Spiritum Sanctum etc.: *non esse intelligenda de potestate remittendi, et retinendi peccata in Sacramento Pœnitentiæ, sicut Ecclesia Catholica ab initio semper intellexit, detorserit autem contra institutionem hujus Sacramenti ad auctoritatem prædicandi Evangelium, anathema sit.* Ergo etc.

§. 416. Prob: II. Traditione Patrum Ecclesiæ Tertullianus, antequam in Montani errores impingeret (Lib: de Poenit: Cap. IV.) de peccatis loquens post Baptismum commissis, inquit. « Cum sciás adversus gehennam, post prima illa intinctionis Dominicae monimenta esse adhuc in exomologesi secunda subsidia; cur salutem tuam deseris? Cur cessas aggredi, quod scias mederi tibi »? Origenes (Hom: 2. in Lev. col. 6.), haec habet. « Non erubescit (peccator) Sacerdoti Domini indicare peccatum suum, et quaerere medicinam ». S. Cyprianus (Cap. 12. de lapsis): Confiteantur singuli, ait, ... dum satisfactio et remissio facta per Sacerdotes apud Dominum grata est «. Athanasius (in Cap: 12. Matth) ». Si nondum, scribit, soluta sunt vincula, tradas teipsum Discipulis Jesu: adsunt enim, qui te solvunt pro potestate ea, quam a Salvatore acceperunt ». S. Joannes Chrysostomus (Hom. 30. in Gen:) « Quia, inquit in magnam hanc hebdomadam (scilicet Sanctam) pervenimus, Dei gratia nunc maxime et jejuniis cursus intendendus. . . . faciendaque diligens et pura confessio peccatorum ». S. Augustinus pariter (Lib. de Adult: Conjug. Cap. 26.): « Eadem, scribit, est causa Baptismi et reconciliationis, sine quibus Sacramentis homines credunt se non debere exire de Corpore ». Tandem,

ne brevitatis limites praetereantur, S. Leo (Epist: 91. ad Theodorum.): « Multiplex misericordia Dei, » scribit, ita lapsibus subvenit humanis, ut non so- » lum per Baptismi gratiam, sed etiam per Poeni- » tentiae medicinam spes vitae reparatur æternae »; Ergo etc.

§. 417. *Objicies variis mediis.* Ac 1. Christus Dominus (Matth: XI. v. 30.) inquit: *Iugum meum suave est; et onus meum leve;* Atqui, importabile jugum esset Christi Lex; et onus gravissimum si confiteri deberemus alteri occulta delicta nostra; Ergo etc.

II. Si ad peccatorum remissionem obtinendam necessarium foret Sacramentum Poenitentiae, scilicet peccatorum confessio, nullus fere remissionem hujusmodi obtinebit; Nam *delicta quis intelligit*: dicebat Propheta David (Psal: 18. v. 13.); hoc est: quis est qui recordari possit omnium peccatorum, quae cogitatione, verbo, et opere commisit; et confiteri secundum numerum, species, et circumstantias, maxime cum scriptum sit, etiam justum septies in die cadere? Ergo etc.

III. Solus Deus potest peccata dimittere, juxta illud, quod in Evangelio legitur (Marci II. v. 7.) *Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus.* Ergo frustra asseritur Sacramentum Poenitentiae.

IV. tandem. Ad constituendum Sacramentum, ex Augustino (Tract. 80. in Joan:), requiritur elementum: *Accedit* enim *verbum ad elementum, et fit Sacramentum*; Sed in Pœnitentia nullum apparet elementum; Ergo non datur Sacramentum Poenitentiæ.

§. 418. R. ad singula, et ad 1. conc: maj:; n. min cum consa. Nihil tam erga homines Dei clementiam, atque benignitatem commendat; nihil tam evidentius Divinæ Legis suavitatem, atque dulcedinem demonstrat, quam Sacramentum Pœnitentiae, quo homo a peccatis quibuscumque post Baptismum commissis absolvitur, in Dei gratiam, et amicitiam redit; at-

que in jus ad Regni Cælestis haereditutem denuo admittitur. Dic quaeso: Si quis Princeps a suo subdito graviter offensus, pro satisfactione offensarum nihil aliud, nisi hoc ab offensore exigeret; nempe, ut corde, offensarum illatarum pœniteret cum firmo proposito illa amplius non committendi, et sic ad pedes sui Ministri procidens, confiteretur offensa omnia patrata, esset ne talis Princeps, ut nimium severus, ejusque leges veluti jugum nimis grave, et importabile judicandae? Minime gentium. At quid, nisi idipsum Deus, Rex Regum, et Dominus dominantium a peccatore exigit, ut ei peccata dimittat? Ubi in Christi jugo durities, et gravitas? Nullibi. Sed dato etiam quod aliquid grave in Sacramenti Pœnitentiæ susceptione ab homine experiatur; quid inde? Quantumlibet grave illud apprehendi posset, levissimum fit intuitu illius summi boni, quod secum fert Pœnitentia, quae a morte peccati nos liberat, Deo nos reconciliat; illumque nobis propitium reddit, Infernum claudit; Regnique Cælestis januas reserat.

§. 419. Ad II. Ut peccatorum remissio per Sacramentum Pœnitentiæ obtineatur, non requiritur nisi integritas formalis, qua nempe, quis, praemisso diligendi examine, peccata omnia sua sacerdoti confiteatur, prout hic, et nunc memoriae occurrunt, secundum numerum, species, et circumstantias, uti habent Theologi morales; quod certe rudioribus ipsis tam difficile non est, uti prætendunt adversarii, maxime ubi accedit confessariorum charitas, et studium.

§. 420. Ad III. dist: antec: Solus Deus sive immediate per se, sive mediate per suos ministros potest peccata dimittere, conc:, immediate solum per se, n. antec:; Ergo etc: Nulli dubium, Deum esse qui peccata remittit, et impium justificat; At non semper id facit immediate per seipsum, sed etiam mediate per suos Ministros sacerdotes, et cum per ministros facit, per seipsum facit; cum id quod fa-

ciunt Ministri, non propria, sed ab ipso accepta potestate faciant. Revera idem Christus est, qui in Domo Simonis Pharisaei remisit Mariæ Magdalenæ omnia peccata, dicens ei (Lucæ Cap. VII. v. 48.): *Remittuntur tibi peccata tua: vade in pace*, ac ille qui in Sacro Pœnitentiæ Tribunali, peccatori pœnitenti dicit: *Absolvo te*, etc. per suos ministros Sacerdotes, quibus in Apostolorum persona, dimittendi peccata potestatem dedit, cum dixit (Joan: XX. 22. 23.): *Accipite Spiritum Sanctum quorum remiseritis peccata remittuntur eis* etc: Adeoque etc.

§. 421. Ad IV. tandem S. Augustinus laudato in loco loquitur de Sacramento Baptismi, cujus materia remota, est elementum, nempe aqua naturalis. Quod si elementum ad alia Sacramenta conficienda applicare velimus, per illud, nequit intelligi aqua, sed materia sensibilis, quæ cum in Poenitentiá inveniatur, proculdubió, nihil obstat, quominus ipsa verum Ecclesiæ Sacramentum dicatur, et sit.

PROPOSITIO III.

Poenitentiæ Sacramentum cum Baptismo confundi nequit.

§. 422. Prob: Nam Tridentinum Concilium ita decrevit (Sess. XIV. Can. 3.): *Si quis Sacramenta confundens*, ait, *ipsum Baptismum, Pœnitentiae Sacramentum esse dixerit, quasi hæc duo Sacramenta, distincta non sint, atque ideo Pœnitentiam non recte secundam post naufragium tabulam appellari; anathema sit.* Atque istud quod decrevit, Concilium ipsum sequentibus rationibus (Cap: 11.) dilucide ostendit. Nam præter quam quod materia, et forma Baptismi diversa est a materia Pœnitentiæ: *Constat certe*, inquit, *Baptismi Ministrum, judicem esse non oportere, cum Ecclesia in neminem judi-*

cium exerceat, qui non prius in ipsam per Baptismi januam fuerit ingressus: Quid enim mihi, inquit Apostolus (I. Cor: V. v. 12.) de iis, qui foris sunt judicare? *Secus est de domesticis fidei, quos Christus Dominus lavacro Baptismi sui corporis membra semel effecit; nam hoc si se postea crimine aliquo contaminaverint, non jam repetito Baptismo ablui, cum id in Ecclesia Catholica nulla ratione liceat; sed ante hoc tribunal, tamquam reos sibi voluit: ut per Sacerdotum sententiam non semel, sed quoties ab admissis peccatis ad ipsam pœnitentes confugerint, possent liberari*. Ulterius. *Alius est Baptismi, alius Pœnitentiæ fructus: per Baptismum enim Christum induentes, nova prorsus in illo efficimur creatura, plenam et integram peccatorum omnium remissionem consequentes, ad quam tamen novitatem, et integritatem per Sacramentum Pœnitentiæ, sine magnis nostris fletibus, et laboribus, divina id exigente Justitia pervenire nequaquam possumus, ut merito Pœnitentia, laboriosus quidam Baptismus a SS. Patribus dictus fuerit*. Ex quibus sic: Illa Sacramenta invicem confundi nequeunt, et sunt inter se diversa, quae diversam habent materiam, et formam; atque diversos producunt effectus; atqui hujus generis sunt Baptismus, et Poenitentia; Ergo diversa sunt Sacramenta. Adeoque etc.

§. 423. Dices. Ad salutem sufficit fides cum Baptismo: Ait namque Christus Dominus (Marci ult: v. 16.). *Qui crediderit, et baptizatus fuerit salvus erit*; Ergo Pœnitentia aut nulla est, aut confunditur cum Baptismo.

§. 424. R. dist: antec: Ad salutem etc: in iis, qui peccato tantum originali infecti sunt, conc: qui postquam a peccato originali, per Baptismum liberati, peccata mortalia commiserunt, n. antec: Ergo etc., n. consm. Laudata Christi Domini verba intelligenda sunt de illis, qui peccato originali maculati sunt; in iis nempe fides requiritur tamquam dispo-

sitio ad Baptismum (§. 256.), et Baptismus ipse, ut salvus esse possit; ast pro illis qui Baptismi gratiam amiserunt, et novis peccatis mortalibus se inquinaverunt, aliud certe remedium praeter Baptisma esse debet; et istud est proculdubio Pœnitentia, secunda post naufragium tabula jure appellata.

§. 425. Dices 2. Nonnulli Patres vocant Baptismum, Pœnitentiæ Sacramentum; Ergo etc.

§. 426. R. Semper ac Patres Baptismum vocant Pœnitentiam, non intelligendum est, eos loquutos fuisse de Sacramento Pœnitentiæ, quasi esset unum, et idem cum Sacramento Baptismi, sed de virtute Pœnitentiæ, quae in adultis, qui peccatis mortalibus actu sunt inquinati, est necessaria dispositio ad suscipiendum Baptismum (§. 256.) Hinc (Actor. II. v. 38.); *Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum.* Nihil ergo ex Patribus contra nostram thesim concluditur.

Quaeres. *Quandonam Christus Pœnitentiæ Sacramentum instituit?*

§. 427. R. Ex Tridentino (Sess: XIV.), Pœnitentiae Sacramentum fuit post Resurrectionem suam a Christo Domino institutum. *Dominus autem*, en ejus verba, *Sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipue instituit, cum a mortuis excitatus insufflavit in discipulos suos, dicens*: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis; quorum retinueritis, retenta sunt.

Dices I. Christus ante suam Passionem pluries peccata dimisit; Ergo tunc Pœnitentiae Sacramentum instituit.

§. 428. R. Quando Christus ante suam Passionem peccata dimisit, veluti Paralitico, Zachæo, S. Mariæ Magdalenæ, et aliis, id fecit non vi Sacramenti, quod aut jam instituisset, vel institueret; sed propria auctoritate, atque virtute.

Dices II. Christus Dominus ante suam Passionem

dixit discipulis suis (Matth: XVIII. v. 18.): *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in Cælo, et quæcumque solveritis super terram erunt soluta et in Cælo*; Ergo tunc instituit Sacramentum Pœnitentiae etc.

§. 429. R. Quando Christus talia verba dixit Apostolis, non dedit actu potestatem aliquam remittendi, retinendique peccata, sed eis illam solummodo promisit; quod ex verbis ipsis argui potest. In primis namque verbis dicens: *Amen amen dico vobis*: *Quæcumque alligaveritis* etc; jurejurando promisit se talem potestatem Apostolis daturum; In secundis vero verbis dicens: *Accipite Spiritum Sanctum quorum remiseritis peccata* etc., clare patet, de facto talem potestatem illis dedisse. Eo vel maxime, quod quando priora verba dixit Christus, Apostoli, non erant Sacerdotes, sicuti erant quando dixit secunda.

Dices. III. Quando Christus dixit Apostolis: *Quorum remiseritis peccata remittuntur* etc. S. Thomas non erat præsens; Ergo aut tunc Christus Sacramentum Pœnitentiae non instituit; aut S. Thomas a ministerio Sacramenti Pœnitentiæ fuit exclusus.

§. 430. R. Tunc et Sacramentum Pœnitentiae Christus instituit, et ab ejus ministerio S. Thomam non exclusit. Nam verba institutionis non direxit Christus ad solos Apostolos praesentes, sed etiam ad absentes, alias dicere deberemus, solos Apostolos in Cœnaculo, tunc congregatos, fuisse institutos Sacramenti Pœnitentiæ Ministros, et non jam omnes alios Sacerdotes ipsorum successores; quia tunc ibi præsentes non erant. Hinc « dicimus, scribit S. Cyrillus Alexandrinus (Lib: XII. in Joan: Cap: 56.), Dicimus » virtutem Spiritus ex intentione dantis Christi, in » omnes Discipulos pertransisse: non enim quibus» dam, sed omnibus discipulis dedit. Quare liberali» tate dantis, non solum praesentes, sed etiam absen» tes Apostoli Spiritum Sanctum acceperunt . . . .

» Non ergo quod abfuerit Thomas, a participatione
» Spiritus decidit, cum de numero esset eorum, qui-
» bus dignitate Apostolatus decoratis, Spiritus de-
» bebatur ».

CAPUT II.

De Materia Sacramenti Pœnitentiæ.

§. 431. *Animad.* Loquendo de hoc Sacramento, ejus materia remota sunt *peccata*; proxima vero actus pœnitentis; nempe *Cordis contritio*, *oris confessio*, *et operis satisfactio.* De quibus pauca praemittimus, ut quae tenenda sunt, clarius percipiantur. Ac primo.

§. 432. *Def.* 1. *Peccatum* dicitur *dictum*, *factum*, *atque concupitum contra legem Dei æternam.*

§. 433. *Schol:* Quod ad rem attinet præsentem, peccatum aliud dicitur *originale*, aliud *actuale*; atque istud vel *veniale*, vel *mortale*; atquæ hoc insuper vel *certum*, vel *dubium*.

§. 434. *Def.* 1. *Peccatum originale est carentia justitiæ originalis transfusa ab Adamo per carnalem propagationem in posteros.*

§. 435. *Def:* 2. *Peccatum actuale est actualis transgressio Legis Divinæ.*

§. 436. *Def:* 3. *Peccatum veniale illud dicitur, quo licet Deus offendatur, qui tamen eum committit, nec gratia sanctificante privatur, neque pœna æterna meretur puniri.*

§. 437. *Def:* 3. *Peccatum mortale est illud quod hominem privat gratia sanctificante, eumque æterna pœna dignum reddit*; Quod si quis est sibi conscius se peccatum commisisse, illud dicitur *certum*; *dubium* vero si dubitat an commiserit, nec ne; vel dubitat, peccatum commissum sit veniale, vel mortale.

§. 438. *Schol:* Materia remota Sacramenti Pœ-

nitentiae triplex est; scilicet I. *necessaria et sufficiens*; uti sunt peccata mortalia post Baptismum commissa, et numquam alias rite confessa; II. *Sufficiens et non necessaria*, uti sunt peccata venialia, vel etiam mortalia, alias rite confessa; III. tandem *necessaria et sufficiens*; uti sunt peccata mortalia dubia. Atque hæc de materia remota, nunc alia pauca de materia proxima.

§. 439. *Def*: 4. *Cordis contritio est animi dolor, atque detestatio de peccato commisso, cum efficaci proposito non peccandi de cætero.*

§. 440. *Schol*: *Contritio* duplex est, *perfecta*, et *imperfecta*. *Perfecta* oritur ex motivo charitatis perfectae erga Deum; estque animi dolor atque detestatio de peccato commissio, ex hoc præcise quod sit offensa Dei summi boni, summeque amabilis; Imperfecta vero est animi dolor, et detestatio de peccato commisso, propter motivum honestum, bonum et supernaturale; ut cum quis dolet de peccato commisso, illudque detestatur, quia æternae damnationis incurrendae, et aeternae beatitudinis amittendae periculo se exposuerit. Et haec proprie *attritio* vocatur.

§. 441. *Def*: 5. *Oris confessio*, hic, *est accusatio legitima, in Sacramento Pœnitentiæ, de propriis peccatis, facta Sacerdoti, ad absolutionem illorum ab eo recipiendam*. De satisfactione infra. Atque hæc quidem ex Catholicorum fide, et doctrina; sicuti etiam et alia similia, nota jam sunt atque explorata. Utinam et his adquiescerent Hæretici! Unde variae super hæc sunt

Auctorum Sententiæ.

§. 442. Martinus namque Lutherus asserere non dubitavit, contritionem in Sacramento Pœnitentiae facere pœnitentem hypochritam, imo magis peccatorem, contra quod manifeste docuerat Apostolus, di-

cens (II. Corinth. Cap. VII. v. 10.): *Quæ secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur.* Montanistae erubescunt confiteri peccata. Jacobitæ soli Deo confitenda esse peccata dicebant, non vero Sacerdoti; idipsum sibi persuasum habebant Waldenses, Albigenses, Flagellantes, et Wicleffus, confessionem peccatorum inutilem esse dicebant. Philippus Melacthon, nullum Divinum praeceptum extare dixit de confessione peccatorum facienda; imo nec etiam in usu fuisse in antiqua Ecclesia, addit Erasmus Roterodamus. Calvinus tandem, ut alios taceamus, impio ore blasphemare ausus fuit, Confessionem, et absolutionem privatam, a fœtidis Antichristi Romani lacunis originem suam habere, et ab ipso diabolo invectam esse in Ecclesiam. Contra hos itaque, ut quæ jam catholice statuimus, magis elucescant, sit

PROPOSITIO I.

Materia remota Sacramenti Pœnitentiæ sunt peccata post Baptismum commissa.

§. 443. **Probatur.** Peccata ante Baptismum commissa, et peccatum originale per Baptismi Sacramentum penitus tolluntur (§. 259.); ergo non possunt esse amplius materia alterius Sacramenti; Adeoque etc. Deinde Christus Sacramentum Pœnitentiæ per modum judicii instituit; Atqui peccatores ante Baptismum sunt extra Ecclesiæ judicium, cum ad Ecclesiam non pertineant; Ergo materia etc.

PROPOSITIO II.

Materia remota Sacramenti Pœnitentiæ sunt actus Pœnitentis; *scilicet* 1. Cordis contritio; 2. Oris confessio; et 3. Operis satisfactio.

§. 444. Prob., ex Concilio Florentino, in quo ita decretum habetur: *Quartum Sacramentum est Pœnitentia, cujus quasi materia sunt actus pœnitentis, qui in tres distribuuntur partes. Quarum prima est cordis contritio, ad quam pertinet ut doleat de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero. Secunda est oris confessio, ad quam pertinet, ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, suo Sacerdoti confiteatur integraliter. Tertia est satisfactio pro peccatis secundum arbitrium Sacerdotis: quæ quidem præcipue fit per orationem, jejunium, et eleemosinam.* Similia fere habet Tridentinum, dicens (Sess. XIV. Cap. III.): *Sunt autem quasi materia hujus Sacramenti, ipsius pœnitentis actus, nempe contritio, confessio, et satisfactio, qui quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, plenamque, et perfectam peccatorum remissionem, ex Dei institutione requiruntur, hac ratione Pœnitentiæ partes dicuntur.* Ergo etc. (1).

---

(1) Ex laudatis Conciliorum verbis puto satis justificatam remanere Doctoris subtilis sententiam, docentis in IV. Sent. dist. 16. q. 1. n. 7. Actus poenitentis non esse partes essentiales, sed integrales Sacramenti Poenitentiae. Vid. Frassen de Poenit. Tract. I. Art. II. Quaest. 2. Concl. 2.

PROPOSITIO III.

Timor servilis, sive ex metu gehennæ, bonus est, et salutaris.

§. 445. Prob. I. ex Scripturis. In Proverbiis habetur (Cap. XIV. v. 27.): *Timor Domini fons vitæ, ut declinent a ruina mortis.* In Ecclesiastico scriptum est (Cap. I. v. 27. 28.): *Timor Domini expellit peccatum; nam qui sine timore est, non potest justificari . . . Qui timent Dominum* (Cap. II. v. 20.), *præparabunt corda sua, et in conspectu illius sanctificabunt animas suas . . . et patientiam habebunt usque ad inspectionem ejus, dicentes: si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini, et non in manus hominum.* Tandem Christus Dominus apud S. Matthaeum (Cap. X. v. 28.): *Nolite timere eos*, ait, *qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timete eum qui potest et animam, et corpus perdere in gehennam.* Quid clarius? Ergo etc.

§. 446. Prob. II. ex Concilio Tridentino, in quo ita statutum legitur (Sess. VI. Can. 8.): *Si quis dixerit gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere, anathema sit;* et iterum (Sess. XIV. Can. 5.): *Si quis dixerit eam contritionem, quæ paratur per discussionem, collectionem, et detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, foeditatem, amissionem æternæ beatitudinis, et æternæ damnationis incursum cum proposito melioris vitæ, non esse verum et utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, sed fa-*

cere hominem hypochritam, et magis peccatorem, ... anathema sit; Ergo etc. (1).

PROPOSITIO IV.

Dolor de peccatis commissis necessarius in Sacramento Pœnitentiæ, debet includere aliquod charitatis initium.

§. 447. Prob. I. ex Scripturis: *Qui non diligit*, inquit S. Joannes (Epist. I. Cap. III. v. 15.), *manet in morte*; et Apostolus Paulus ad Corinthios (I. Cap. ult. v. 22.): *Si quis non amat Dominum Jesum Christum, anathema sit;* Ergo nulla justificatio fit, sine aliquo, saltem initiali, amore erga Deum; Adeoque etc.

§. 448. Prob. II. Tridentina Synodus loquens de dispositionibus adultorum ad justificationem in Baptismo consequendam, hunc amorem Dei initialem in eis exquirit, dicens (Sess. VI. Can. 8.): *Illumque*, nempe Deum, *tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt*; ergo a fortiori, ad consequendam justificationem in Sacramento Pœnitentiae. *Et sane, non satis adimpleri potest utrique Sacramento* (Clerus Gallicanus in Comitiis 1900.) *necessarium vitæ novæ inchoandæ, ac servandi mandata Divina propositum, si pœnitens primi, et maximi mandati, quo Deus corde diligitur, nullam curam gerat* (2).

---

(1) Vid. Tournely de Poenit. q. V. Art. I. Frassen de Poenit. Tract. I. Disp. II. Art. III. Sect. I. q. IV.

(2) Vid. Tournely Q. V. Art. III. Antoiné Cap. II. Art. VII.

PROPOSITIO V.

Ex Divina institutione tenemur confiteri peccata omnia.

§. 449. Prob. auctoritate et rationibus Concilii Tridentini, in quo ita legitur (Sess. XIV. Cap. V.: etc Can. 14.): *Ex institutione Sacramenti Pœnitentiæ universa Ecclesia semper intellexit, institutam etiam esse a Domino integram peccatorum confessionem, et omnibus post Baptismum lapsis jure Divino necessariam existere, quia Dominus Jesus Christus e terris ascensurus ad Cælos, Sacerdotes sui ipsius Vicarios reliquit, tamquam Praesides et Judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi fideles ceciderint, quo pro potestate clavium, remissionis, aut retentionis peccatorum sententiam pronuntient. Constat enim Sacerdotes judicium hoc, incognita causa exercere non potuisse, neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis servare potuisse, si in genere dumtaxat, et non potius in specie, ac sigillatim sua ipsi peccata declarassent;* Ergo etc.

Quaeres. *An simul cum peccatis mortalibus teneamur confiteri circumstantias mutantes speciem?*

§. 450. R. Affirm. Et patet ex eodem Concilio, in quo post laudata verba de confessione peccatorun Sacerdoti facienda (§. 449.), inter alia corollaria, hoc habetur: *Colligitur præterea, etiam eas circumstantias in confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant; quasi sine illis peccata ipsa neque a pœnitentibus integre exponantur, nec judicibus innotescant; et fieri nequeat, ut de gravitate criminum recte censere possint, et pœnam, quam oportet, pro illis pœnitentibus imponere.* Ergo etc.

Quaeres. *An circumstantiæ notabiliter aggra-*

vantes intra eamdem speciem manifestari debeant in Confessione?

§. 451. R. affirm.: Nam ex Can.: Omnis utriusque sexus Concilii Lateranensis IV. *Sacerdos debet esse discretus, et cautus, ut more periti medici superinfundat vinum, et oleum vulneribus sauciati, diligenter inquirens et peccatoris circumstantias, et peccati, quibus prudenter intelligat quale debeat illi præbere consilium, et cujusmodi remedium adhibere, diversis experimentis utendo ad sanandum ægrotum:* Atqui hoc non potest exequi Sacerdos, nisi circumstantiae ei manifestentur, quae peccatum intra eamdem speciem aggravant; Ergo etc. (1).

CAPUT III.

De Ministro, et subjecto Sacramenti Pœnitentiæ.

§. 452. *Animad.* Sacramenti Pœnitentiæ subjectum, hominem adultum esse post Baptisma in mortalia peccata lapsum, vel ex ipsa Sacramenti hujus institutione liquido constat (§. 406. 443.). De Ministro tantum hic aliqua stabilienda occurrunt, ut Wicleffitæ, et Lutherani, aut victi tandem dent manus, aut rubore perfusi, abscondantur.

(1) Vid. Antoinè Cap. III. de Confes. Att. 2. etc.

PROPOSITIO I.

Solus Sacerdos est Minister Sacramenti Pœnitentiæ.

§. 453. Prob. : Nam solis Apostolis, eorumque in Sacerdotio successoribus dedit Christus hanc potestatem ministrandi Poenitentiae Sacramentum, dicens : *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis ;* Jure proinde Tridentina Synodus hunc edidit Canonem (Sess. XIV. Cap. V. Can. 10.) : *Si quis dixerit . . . non solos Sacerdotes esse Ministros absolutionis, sed omnibus et singulis Christifidelibus esse dictum : quæcumque alligaveritis etc. Et quorum remiseritis peccata remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt : quorum verborum virtute quilibet absolvere possit peccata . . . anathema sit ;* Ergo etc.

Dices. S. Jacobus Apostolus inquiebat fidelibus (Cap. V. v. 16.) : *Confitemini alterutrum peccata vestra ;* Ergo omnes sunt Poenitentiae Ministri ; Adeoque etc.

§. 454. R. Ugo Victorinus (Lib. de Sacram.) intelligit laudata verba de vera confessione facienda Sacerdotibus, non aliis; adeo ut verborum illorum sensus sit : Confitemini inter vos homines hominibus, oves Pastoribus, subjecti Prælatis, Laici Sacerdotibus, ii qui habent peccata, iis qui peccata dimittendi habent potestatem. Alii volunt, laudata verba, intelligenda esse de Confessione non Sacramentali, sed quae humiliationis gratia fiebat, et de qua plures SS. Patres loquuntur ; et Gratianus (Capite : Quem poeni. Dist. I. de Poenit.) ex Auctore de vera, et falsa Pœnitentia (Cap. X.) repetit, dicens : *Tanta Confessionis vis est, ut si deest Sacerdos, confiteatur proximo.* Quocumque autem sensu ea verba intelligantur, nostram non lædunt Propositionem.

PROPOSITIO II.

Extra casum necessitatis extremæ, solus Sacerdos habens Jurisdictionem est Minister Sacramenti Pœnitentiæ.

§. 455. Prob. Sacramentum Pœnitentiae per modum Judicii est a Christo Domino institutum: *Quoniam igitur*, ait Tridentina Synodus (Sess. XIV. Cap. VII.), *natura et ratio Judicii illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, et verissimum esse, Synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet jurisdictionem;* Ergo etc.

PROPOSITIO III.

Minister Sacramenti Pœnitentiæ jure *naturæ, Divino, et Ecclesiastico tenetur servare sigillum; hoc est nihil penitus revelare, de eo quod ei a pœnitente in Confessione, vel in ordine ad Sacramentalem Confessionem fuit manifestatum.*

§. 456. Prob. I. P. Nam jure naturae tenemur alterius depositum custodire, 2. praestare fidelitatem; 3. famam alterius apud nos depositam servare; 4. tandem alteri non facere, quod nobis fieri nolumus. Atqui Minister Sacramenti Pœnitentiæ, a pœnitente per Confessionem recipit apud se duo pretiosa; et maximi aestimanda deposita, nempe 1. arcana cordis illius, facta, et cogitata, aut dicta, quae omnes vult latere; 2. famam, quam utique vult servatam; cum quisque curam habere debeat de bono nomine, et ipse saltem implicite se obliget, ad utrumque de-

positum custodiendum, cum velit, ut simile erga seipsum agant alii; Ergo etc.

§. 457. Prob. II. P. Confessio est de jure Divino; Ergo jure divino servari debet, quod ad eam maxime conducit; Sed vel maxime ad Confessionem conducit sigillum Sacramentale; Ergo etc. Prob. min. Homo quilibet adeo est de suo honore sollicitus, ut permulti inveniuntur, qui vitæ potius, quam honoris jacturam patiantur. Si ergo pœnitentes suspicari saltem possent, sua peccata in Confessione Sacerdoti patefacta vel posse revelari, vel fore aliquando ut revelentur, aut pauci admodum, aut nulli prorsus confiterentur peccata sua; sicque confessio et odiosa, et inutilis evaderet; Ergo vel maxime ad Confessionem conducit sigillum Sacramentale (1).

§. 458. Prob. III. P. ex Capite *Omnis utriusque sexus* Concilii Lateranensis sub Innocentio III., in quo ita statutum habetur: *Caveat autem omnino Sacerdos, ne verbo, aut signo, aut aliquo quovis modo aliquatenus prodat peccatorem; sed si prudentiori consilio indiget, illud absque ulla expressione personæ caute requirat; quoniam, qui peccatum in pœnitentiali Judicio sibi secretum præsumpserit revelare, non solum a Sacerdotali officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam in arctum Monasterium detrudendum;* Ergo etc.

Quaeres. *An saltem propter bonum publicum revelari possit peccatum, quod Confessione exceptum sit?*

§. 459. R. negative: Imo in nullo excogitabili casu directe, vel indirecte revelari potest, quamvis salus propriae vitae, imo totius Mundi inde pende-

(1) Vid super hoc Concilii Senonensis decisio apud ex Carmes Cap. IV. q. 3. Art. 2.

rent; Quinimo etiamsi per hoc omnium hominum damnatio impediri posset: *Nam si licitum esset in aliquo casu*, ait Synodus Senonensis (Anni 1524.), Sacerdoti revelare peccatum sibi dictum in Confessione, enervaretur praeceptum Divinum de Confessione facienda: quia nemo esset, qui vellet suum peccatum occultum propriae famae denigrativum Sacerdoti detegere, et revelare.

Quaeres. *Quomodo se gerere debeat Confessarius, si de eo interrogetur a Judice?*

§. 460. R. Debet absolute respondere se illud nescire; et recte Sacerdos audita in sola Sacramentali Confessione, *minus scit*, ait S. Augustinus, *quam quæ nescit.* Ratio expressius ab Angelico Doctore affertur (In suppl. q. II. Art. I. ad 2.), et est, *quia Sacerdos debet existimare, quod intentio præcipientis est, si sciat ut homo. Et si etiam exprimeret de Confessione, interrogatus non debet dicere, quia non est subjectus superiori sao, nisi ut homo: hoc autem non scit ut homo, sed ut Deus;* hoc est ut Dei Minister.

Quaeres. *Num Confessario exquirere liceat a Pœnitente in Confessione nomen complicis?*

§. 461. R. Neg.: Nam unusquisque habet jus in famam. Si ergo nequit Pœnitens complicis nomen manifestare, quin famam illius laedat, et peccet, multo magis Confessarius abstineri debet ab inquirendo a pœnitente nomen complicis, ne illum exponat periculo graviter delinquendi, aut mentiendi cum jactura famae proximi. Quare graviter peccat Confessarius, et suspensionis pœna ab audiendis Confessionibus plectendus erit, qui nulla exigente gravi necessitate, nomen complicis a poenitente in confessione exquireret; et maxime si minis, promissis, denegando absolutionem, aut blanditiis ad hoc poenitentem conetur inducere, ut nempe sibi nomen complicis revelet.

Quaeres. *Quid sentiendum de Pœnitente, qui in Confessione mentiatur?*

§. 462. R. cum dist. vel mentitur voluntarie, et circa materiam substantialem Sacramenti necessariam, et peccat mortaliter, quia Confessarium decipit in re gravi ad substantiam judicii Sacramentalis spectante; vel mentitur circa materiam levem, et liberam, et tunc dicendum est leviter peccare.

CAPUT IV.

De Satisfactione.

§. 463. *Def.* 1. *Satisfactio* generatim sumpta *est debiti cujuscumque solutio*; stricte autem *est actio, qua is, qui alterum læsit, tantum facit, quantum satis est ad injuriam compensandam, vel saltem quantum, qui læsus est, juste exigit.* Strictius autem; et ad rem, *est actio, qua Deo pro peccatis satisfacimus.*

§. 464. *Animad.* Ut autem quae de satisfactione dicenda sunt clarius intelligantur, advertendum est, triplicem reatum ex peccato mortali in homine resultare; Reatum nempe 1. culpæ, quo homo constitutus Dei inimicus, et ab eo aversus, a Paradisi gaudiis excluditur; 2. reatus poenae æternæ, quo homo per culpam, a Deo expulsus ab æterna fælicitate, poena gehennali in aeternum sustinenda punitur. 3. reatus poenae temporalis, quo condonatis culpa, et poena æterna, adhuc remanet poena temporanea luenda.

§. 465. *Schol*: Pro triplici hoc reatu triplex satisfactio assignatur; satisfactio nempe 1. pro culpa; 2. pro poena aeterna; et 3. pro poena temporali. Satisfactio pro culpa, et poena aeterna datur per susceptionem Sacramenti Poenitentiae; contritione nempe, atque sincera peccatorum Confessione facta legitimo Sacerdoti; unde Poenitens et a culpa, et a poena aeterna a Deo absolvitur, in gratiam ipsius

iterum suscipitur, a gehennae incendio liberatur, et haeres Regni Caelestis efficitur; at satisfactio pro poena temporali est illa quae superest luenda, sive in hac, sive in altera vita, et oppositum est a Concilio Tridentino hoc Canone damnatum (Sess. VI. Can. 30.): *Si quis post acceptam justificationis gratiam, cuilibet peccatori pœnitenti ita culpam remitti, et reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exolvendæ vel in hoc sæculo, vel in futuro in Purgatorio... anathema sit.* Atque haec quidem satisfactio reatus poenae temporali, dupliciter considerari potest, vel prout nempe voluntarie suscipitur, atque impletur, et pertinet ad Poenitentiam virtutem; vel prout in Sacramento Pœnitentiae a Sacerdote imponitur, et a poenitente amplectitur, atque impletur, et est pars integralis Sacramenti Poenitentiae. Priori modo considerata ita describi potest cum Doctore subtili (In IV. Dist. XV. q. I n. 11.): *Satisfactio est operatio exterior laboriosa, vel pœnalis voluntarie sumpta, ad puniendum peccatum commissum a se, et hoc ad placandum Divinam offensam: vel est passio, seu pœna voluntarie tolerata in ordine prædicto.* Posteriori autem modo considerata sic a Tridentino describitur (Sess. XIV. Cap, VIII.): *Satisfactio est actio, per quam in Sacramento Pœnitentiae retribuimus Deo compensationem aliquam pro peccatis, juxta præscriptum, et sententiam Sacerdotis.*

§. 466. *Coroll.* Ex hic colligi potest, materiam satisfactionis esse opera poenalia; uti sunt, jejunium ex. gr., et omnes aliae corporales afflictiones; Oratio, et quicumque alii actus Religionis sive interni, sive externi; in Dei cultum, et honorem; 3. eleemosina, et omnia alia misericordiae opera.

§. 467. *Schol.* Satisfactionem hujusmodi a nobis expositam non admittunt Novatores, imo putant, eam injuriosam esse infinitae satisfactioni, quam Christus

Dominus dedit Divinae justitiae pro omnium hominum peccatis; et si quam utilitatem in eam cognoscunt, solius Ecclesiae esse contendunt: unde Calvinus (Lib. III. Inst. Cap. IV. n. 39.): *Patres*; ait, *satisfactionem vocarunt, non compensationem, quæ Deo redderetur, sed pubblicam testificationem, qua qui excommunicatione mulctati erant, cum in communionem recipi vellent, Ecclesiam reddebant de sua pœnitentia certiorem; atque ita dicebatur non Deo, sed Ecclesiæ satisfacere.* Sed quantum a vero aberraverint, quae sequuntur, ostendunt.

PROPOSITIO I.

Sacerdotes tenentur competentem satisfactionem pœnitentibus imponere.

§. 468. Prob. In Sacramento Poenitentiæ, licet per contritionem, et Confessionem tum reatus culpæ, cum reatus poenae aeternae remissi fuerint, remanet tamen satisfaciendus reatus poenae temporalis (§. 465.); Ergo ut Poenitentiae Sacramentum sit integrum, et completum, per ipsum nempe remissus maneat etiam reatus poenae temporalis, requiritur, ut Poenitenti conveniens satisfactio imponatur; Ergo Sacerdotes etc. Atque hæc est etiam definitio Concilii Tridentini, in quo ita statutum legitur (Sess. XIV. n. 8.): *Debent Sacerdotes Domini, quantum Spiritus, et prudentia suggerit, pro qualitate criminum, et pœnitentium facultate salutares, et convenientes satisfactiones injungere*; Ergo etc.

PROPOSITIO II.

Pœnitens non potest absolute satisfactionem a Sacerdote in Confessione præscriptam recusare.

§. 469. Prob. Satisfactio est pars integralis Sacramenti Poenitentiae (468.); Ergo poenitens etc. Quare Concilium Lateranense IV. poenitenti imponit, ut omnia sua peccata confiteatur fideliter, et injunctam sibi poenitentiam studeat pro viribus adimplere. Diximus *non potest absolute etc*. Nam si Confessarius imprudenter imponeret Poonitenti satisfactionem cujus exequutio illi, attentis circumstantiis salutis, aetatis, et conditionis, foret impossibilis, tunc potest Poenitens, modeste et humiliter eam recusare, et simul Confessarium rogare, ut aliam imponat, quam ipse exequi possit.

PROPOSITIO III.

Sacerdos in Sacro tribunali Pœnitentiæ, potest immutare, aut relaxare satisfactionem pœnitenti ab alio impositam.

§. 470. Prob. Judicium per modum cujus, Sacramentum Poenitentiae est institutum a Deo, non ad animarum perniciem, et fidelium desperationem institutum est; Quoties ergo quis justa ex caussa, aut omnino non potest, aut cum maxima difficultate satisfactionem sibi a Confessario impositam implere, tunc potest alius Sacerdos in Sacro Tribunali Poenitentiae, aut illius Confessionem audire, aut saltem caussas cognoscere, ob quas poenitens satisfactionem a priori Confessario impositam vult immutatam, aut relaxatam, sicque eam immutare, aut relaxare, prout ei in Domino expedire videbitur; Adeoque etc.

Quaeres: *Utrum in peccato mortali existens satisfaciat?*

§. 471. R. Qui in peccato mortali existens opus exequitur a Sacerdote sibi in Confessione injunctum, satisfacit quidem praecepto Sacerdotis, et reddit Sacramentum integrum; sicque faciendo non peccat mortaliter, quod faceret si opus illud prætermitteret: illud tamen opus non prodest illi ad remissionem poenæ peccati; licet prosit, ablato impedimento, ut multi docent Doctores.

Quaeres. *Quo jure necessaria sit satisfactio?*

§. 472. R. Jure Divino naturali. Nam ait Dominus apud Joel (Cap. II. v. 12.): *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, et in fletu, et in planctu;* et apud Lucam (Cap. III. v. 8.): *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* Et sane: *delinquenti*, ait S. Gregorius Papa (Lib. IX. Moralium Cap. 34.), *Dominus nequaquam parcit; quia delictum sine ultione non deserit. Aut enim ipse hoc homo in se pœnitens punit, aut hoc Deus cum homine vindicans percutit.*

Quæres. *Utrum injungenda satisfactio sit, quæ criminum gravitati conveniat?*

§. 473. R. aff.; habita tamen ratione personarum, loci, et temporis. Nam scriptum est (Deuteron. Cap. XXV. v. 2.): *Pro mensura delicti erit plagarum modus.* Quare Tridentina Synodus (Sess. XIV. Cap. VIII.): *debent Sacerdotes Domini*, inquit, *quantum spiritus et prudentia suggesserit; pro qualitate criminum, et pœnitentium facultate salutares, et convenientes satisfactiones injungere: ne si forte peccatis conniveant, et indulgentiam cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.*

Quæres. *Utrum aliquando Pœnitentia debeat esse publica?*

§. 474. R. affirm. Nam *Apostolus monet, peccatores, palam esse corripiendos. Quando igitur*, ait Tridentina Synodus (Sess: XXIV. Cap. VIII. de Res.) *ab aliquo publice, et in multorum conspectu crimen commissum fuerit, unde alios scandalo offensos, commotosque fuisse non sit dubitandum; huic condignam pro modo culpæ pœnitentiam publice injungi oportet; ut quos exemplo suo ad malos mores provocavit, suæ emendationis testimonio ad rectam revocet vitam* (1).

CAPUT V.

De forma Sacramenti Pœnitentiæ.

§. 475. *Animad.* Poenitentiae Sacramentum, quemadmodum et alia Sacramenta, sicuti materia, ita et forma constare debet. Quænam sit materia, jam diximus; quænam autem forma, et an exprimi debeat modo deprecativo, an vero indicativo, mox patebit.

PROPOSITIO I.

Forma Sacramenti Pœnitentiæ sunt verba quæ profert Sacerdos dum conferens absolutionem dicit: Ego te absolvo:

§. 476. Prob. ex Conciliis. Concilium Florentinum (In Decreto pro Armenis): *Forma hujus Sacramenti*, nempe Poenitentiæ, inquit, *sunt verba absolutionis, quæ Sacerdos profert, cum dicit*: *Ego te*

---

(1) De publica Pœnitentia, quae olim in Ecclesia erat in usu, legi poterunt Frassen Append. de satisfactione, seu Poenitentia publica. Tournely de Poenit. Q. VIII. Antoinè Cap. IV. Art. VII.

absolvo; et Tridentinum (Sess. XIV. Cap. III.) *Docet præterea S. Synodus Sacramenti Pænitentiæ formam, in qua præcipue ipsius vis sita est, in illis Ministri verbis positam esse: Ego te absolvo etc.*

PROPOSITIO II.

Forma Sacramenti Pænitentiæ modo indicativo, non deprecativo proferri debet.

§. 477. Prob. Christus Dominus Sacramentum Poenitentiæ instituens, dedit Apostolis potestatem, et veram auctoritatem remittendi, ac retinendi peccata; Ait namque illis (Joann. Cap. XX. v. 21.): *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis;* non dixit: illis pro quibus oraveritis, remittuntur peccata; Ergo non deprecando, sed indicando, et de facto remittendo debet proferri absolutio. Et sane forma illa a Conciliis praescripta (§. 476.), non deprecativa est, sed indicativa: non dicit enim Sacerdos: *oro ut Deus te absolvat;* sed *ego te absolvo;* auctoritate utique a Deo accepta; Ergo etc.

Quæres. *Utrum dentur peccata irremisibilia?*

§. 478. R. neg. Nam ait Dominus per Ezechielem (Cap. XVIII. v. 21.): *Si impius egerit pænitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est . . . vita vivet, et non morietur: omnium iniquitatum ejus non recordabuntur;* Et Christus Dominus potestatem Apostolis tribuens dimittendi peccata, nullum peccatum exclusit, dicens: *Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in Cælo.*

Quæres. *Qua ratione se gerere debeat Confessarius cum consuetudinariis, cum obversantibus in occasione proxima, et cum ignorantibus fidei Christianæ rudimenta?*

§. 479. R. Cum consuetudinariis, debet eis re-

media, et auxilia spiritualia praebere, ut derelinquant viam malam, et ablata peccandi consuetudine, assuescant benefacere; neque interim eos absolvat, nisi sincerae emendationis argumenta dederint; esto illi dicant ore se poenitere: Id patet ex Propositione damnata ab Innocentio XI. *Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra Legem Dei, Naturæ, aut Ecclesiae, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodo ore proferat se dolere, et proponere emendationem.* Idipsum cum occasionariis præstare debet: Omni studio conetur ab occasione proxima peccandi pœnitentem retrahere; quod si pœnitens noluerit proximam occasionem peccandi voluntariam deserere, nunquam absolvat; unde laudatus Pontifex sequentem damnavit propositionem (N. 60.): *Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, et non vult dimittere.* Quod si occasio fuerit necessaria, praebeat ei media, quibus fiat remota; et talis effecta, tunc absolvat. Ignorantes vero fidei Christianæ rudimenta non absolvat; quia sicut isti sunt incapaces justificationis ob defectum Fidei, ita et incapaces sunt absolutionis; Erudiat ergo, vel erudire eos faciat, et postea, nisi aliud obsit, absolutionis beneficium eis impendat.

Quaeres. *Utrum absolutio dari possit absentibus, et demandari per litteras?*

§. 480. Neg. Nam ex Tridentino (Sess. XIV. Cap. II.) Ecclesia, pœnitentes ante tribunal Poenitentiæ, tamquam reos sisti voluit, ut per Sacerdotum sententiam non semel, sed quoties ab admissis peccatis ad ipsos confugerint, possent liberari. Merito propterea Clemens VIII. hanc damnavit Propositionem: *Licitum est per litteras, aut internuncium Confessario absenti peccata sua Sacramentaliter confiteri, et ab eodem absente absolutionem obtinere.*

Quaeres. *Utrum dari possit his, qui de repente in morbum incidunt, et loquelæ usum omittunt?*

§. 481. R. cum distinctione. Vel hi, licet loqui non possint, dant aliqua signa poenitentiæ, et tunc eis absolutio dari potest, vel hi nullatenus dant signa poenitentiae, et iterum distinguendum; vel hi pie et Christiane vixerunt, et potest eis dari absolutio, saltem sub conditione; si vero male vixerunt, tunc absolvi nequeunt.

CAPUT VI.

De Extrema Unctione, ejusque materia, et forma.

§. 482. *Animad.* Sacramentum hoc, de quo loquimur, dicitur *extrema unctio*, quia in extremo vitae periculo constitutis conferri solet; quare *Sacramentum exeuntium*, *oleum sanctum*, *unctio infirmorum*, *oleum benedictionis* quoque appellatur.

§. 483. *Def. Est autem Extrema Unctio Sacramentum novae Legis, consistens in unctione corporis periclitantis, facta ex oleo consecrato in partibus corporis, ubi præcipue vigent sensus, sub præscripta forma verborum, ad salutem mentis, et corporis ægroti ordinatum.* An autem revera sit tale.

Dissidium adest Hæreticos inter et Catholicos.

§. 484. Sane Extremam unctionem non esse Sacramentum, Armeni, Albigenses, Flagellantes, et Thaboritae docuerunt. Waldenses blasphemarunt, quod Extrema Unctio sit Sacramentum maledictionis, non benedictionis. Wicleffus contendit hoc Sacramentum nullibi apparere a Christo, aut ab Apostolis institutum, propterea nihil esse. Lutherus, delirium Papistarum hoc Sacramentum appellat. Philippus Mela-

ehton superstitiosam caeremoniam, et Calvinus fictitium Sacramentum dixerunt. Theologi autem Catholici, ut verum Ecclesiae Sacramentum Extremam Unctionem cognoscunt; at plerique circa auctorem non conveniunt. Sunt qui dicunt fuisse a Christo Domino immediate institutum; alii vero mediate per Apostolos institutionem habuisse. Quid dicendum, ex sequentibus patebit.

PROPOSITIO

Extrema Unctio est verum, ac proprie dictum Novae Legis Sacramentum.

§. 485. Prob. I. S. Jacobus Apostolus ita loquitur Fidelibus in sua Epistola (Cap. V. v. 14.): *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, et oratio Fidei salvabit infirmum; et alleviabit eum Dominus: et si in peccatis sit remittentur ei.* Quibus positis, en Propositionis clara probatio. Illud est verum ac proprie dictum Novæ Legis Sacramentum, quod est signum sensibile, quod gratiam confert, quodque est a Jesu Christo institutum; Atqui ex laudato S. Jacobi testimonio, Extrema unctio est signum sensibile; *ungentes eum oleo*; gratiam confert, ea enim remittuntur peccata, quae nonnisi per gratiam remitti possunt: *et si in peccatis sit remittentur ei*; et est a Christo Domino instituta, quia solus Deus signo sensibili potest gratiam adnectere; Ergo etc.

§. 486. Prob. II. ex Conciliis. Concilium Cabilonense sub Leone III. celebratum decernit: *Secundum S. Jacobi Apostoli documentum, cui etiam Decreta Patrum consonant, infirmi oleo, quod ab Episcopo benedicitur a Presbyteris ungi debent etc*: Tridentino, in quo ita statutum legitur (Sess. XIV.

Can. 1.): *Si quis dixerit, Extremam Unctionem non esse vere, et proprie Sacramentum a Christo Domino nostro institutum, et a beato Jacobo Apostolo promulgatum; sed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum, anathema sit;* Ergo etc. (1).

§. 487. Prob: III. ex Patribus. Tertullianus (Lib: 1. contra Marcionem) scribit: « Christus nec » aquam reprobavit, qua suos abluit, nec oleum quo » suos unxit, nec mellis et lactis societatem, qua suos » infantat, nec panem quo ipsum suum corpus re» praesentat ». S. Augustinus (Serm: 215. de temp:) ita loquitur: Quoties infirmitas aliqua supervenerit » Corpus, et sanguinem Christi ille qui ægrotat ac» cipiat, et inde corpusculum suum ungat, ut illud » quod scriptum est impleatur in eo: *Infirmatur quis in vobis?* etc: S. Petrus Damianus (Serm: 1. in dedic: Eccl:) Tertium, ait, Sacramentum est un» ctio infirmorum » Et ita pariter alii Patres tam ex latinis, quam ex Græcis.

Adversariorum Objectiones solvuntur.

§. 488. Objic: 1. Potissimum argumentum ad probandum, Extremam Unctionem esse unum ex septem Ecclesiae Sacramentis, desumitur ex testimonio superius laudato S. Jacobi: *Infirmatur quis in vobis* etc: Atqui hoc nullius est roboris; Ergo falsa propositio: Prob: min. Epistola illa, quae, S. Jacobi nomine circumfertur, non habetur ut authentica; Ergo etc.

§. 489. R. Falsum omnino est S. Jacobi Episto-

(1) Vid. Tournely de Extrema Unctione Art. II. Antoiné item Q. I. Boucat Dissert. V. de Essentia Sacram. Extremae Unctionis Art. unico.

lam apochypham esse; Ipsa namque et authentica habetur, nedum a SS. Ecclesiae Patribus Athanasio (in Synopsi), Hieronymo (Epist: ad Paulinum), Augustino (Lib: I. de doct: Christ.), pluribusque aliis; sed etiam a Concilio Laodicense, Milevitano (Can: 7.), Carthaginense IV. (Can: 47.), necnon Florentino.

§. 490. *Contra.* Atqui licet Epistola illa sit authentica, ejus tamen testimonium pro Extremæ Unctionis Sacramento nullius est roboris; Ergo stat argm. Prob: subsm. Jacobus Apostolus de Unctione loquens, nullam facit mentionem de ejus institutione a Christo facta, neque de aliquo mandato a Christo accepto de illius administratione, sed ex propria sententia, et auctoritate dixit: *Infirmatur quis in vobis? inducat* etc: Ergo licet etc.

§. 491. R. S. Jacobus Apostolus de extrema Unctione loquens, supponit tale Sacramentum fuisse jam a Christo Domino institutum, et solum illud auctoritate, sibi a Christo commissa, promulgat, et ad eam suscipiendam impense hortatur infirmos, ne tanto bono priventur, quod ex illius susceptione in homines derivatur. Id patet ex ipsis Jacobi verbis: *infirmatur quis in vobis?* inducat Praesbyteros Ecclesiæ etc. Quod autem ita sit, manifeste declarat Tridentina Synodus (§. 486.).

§. 492. *Contra.* Atqui unctio a S. Jacobo promulgata Sacramentum non est a Christo Domino institutum; Ergo n. r. Prob: subsm. Sacramenta a Christo Domino instituta, gratiam conferunt ex opere operato. Atqui Unctio a S. Jacobo promulgata, gratiam promittit ex opere operantis; Ergo non est Sacramentum. Prob: min. In administratione hujus Unctionis, ait S. Jacobus, quod *oratio fidei salvabit infirmum*; Ergo ex opere operantis, nempe ex oratione cum firma fide facta a presbyteris, unctio consequitur effectum; et consequenter etc.

§. 493. R. dist: antec: Oratio fidei Presbyteri, agentis nomine proprio etc: n. ant: Presbyteri agentis nomine, et in fide Ecclesiae, conc:; ergo etc:, n. utramque consam. Cum laudato in loco mentionem de fide facit S. Jacobus, non loquitur de fide subjectiva, sive propria, sed de fide objectiva, idest Ecclesiæ. Id certe patere potest ex eo quod unctionis ministros Presbyteros, hoc est Ecclesiae Sacerdotes vocandos esse dixerit, qui in ea administranda, intionem habere debent faciendi quod facit Ecclesia.

§. 494. Objic: II. Si Extrema unctio esset Ecclesiae Sacramentum, S. Dionysius Areopagita, ubi agit de Sacramentis, de ea mentionem fecisset; Atqui ne verbum quidem de ea ibi profert; Ergo etc.

§. 495. R. dist: maj: si ageret ibi de omnibus Sacramentis Ecclesiae, conc:, si de aliquibus, n: maj:, conc: min:; et n. consm. S. Dionysius Areopagita, vel quivis alius auctor libri de Ecclesiastica Jerarchia, de Sacramentis agens, non de omnibus Sacramentis, sed de aliquibus tantum scribere proposuerat; neque id mirum, cum et idipsum fecerint perplures alii vetusti Patres, ubi de Sacramentis verba fecerunt. Nihil ergo nobis obstat, quod de hujusmodi Sacramento S. Dionysius de Sacramentis agens, non loquatur.

§. 496. Contra. Atqui S. Dionysius Areopagita ideo de Extrema Unctione non egit; quia hujusmodi Sacramentum non extabat; Ergo n. r. Prob: subsm. Si hujusmodi Sacramentum extitisset, extaret exemplum aliquod virorum Sanctorum, qui illud in extremis agens suscepissent; Atqui nullum extat exemplum hujusmodi; Ergo etc.

§. 497. R. admitto maj; n. min: cum consa. Falsum omnino est, nullum extare exemplum personarum Sanctarum quae hujusmodi Sacramentum susceperint. Nam extat de eo exemplum Tresani Presbyteri, de quo ita scribit Bollandus: *Qui Oleum*

Sanctæ reconciliationis accepit, et cum cordis intima contritione, et humilitate suscepit . . . . quæ postquam explevit Viaticum petiit. De S. Hunegundi haec habet Surius: *Illa conversa ad eos, qui illic assistebant Presbyteros, Sacræ Unctionis Oleum, et Eucharistiam sibi petiit ministrari;* et ita deinceps de aliis, quorum longum nimis foret hic texere seriem.

§. 498. *Contra.* Atqui nullus priscorum Sanctorum legitur, Sacramentum Extremae Unctionis suscepisse; Ergo stat argm. Prob subsm. Laudata SS. virorum exempla, sunt a sexto sæculo in posterum; Sexto namque Sæculo floruit Tresanus Presbyter; Ergo in sex prioribus saeculis nullum apparet receptionis Sacramenti Extremae Unctionis exemplum; Adeoque etc.

§. 499. R. ad argumentum. Cum S. Jacobus tam impense infirmis extremam Unctionem inculcaverit, atque miros illius sive spirituales, sive corporales exposuerit effectus, dubitandum non est, quin unusquisque fidelis illud suscipere curaverit, quinimmo tenendum, omnes, maxime Sanctos viros, summo studio, quantum fieri potuit, curasse ne sine eo e vita discederent; Quod si Historici hoc non scripserint, dicendum, id potius evenisse quia frequentissimum adeo erat hujus Sacramenti usus, ut scripto, memoriae mandare non oporteret, quam nullum tunc fuisse illius usum. Sane S. Bernardus agnoscebat hujus Sacramenti existentiam atque virtutem, negandum propterea non est, illud cum aliis Sacramentis accepisse; et tamen in historia vitae ejus non legitur, ipsum Extremae Unctionis Sacramentum, dum in extremis ageret, suscepisse. Ex silentio igitur SS. Patrum Sex primorum Sæculorum, nihil contra nostram thesim conficitur (1).

(1) Vide alia apud Ivenin Comm. Hist. de Sacram Dissert. VII. Art. 2. Boucat Tomo VI. Dissert. V. de.

Quaeres. *Quandonam fuit Sacramentum hoc Extremæ Unctionis a Christo Domino institutum?*

§. 500. R. 1. Cum Sacramenti hujus institutionis tempus clare, atque distincte ex Scripturis erui nequeat, hinc est quod Theologi, in eo adsignando, in varias abjerint sententias. Sunt nonnulli, qui illud institutum esse volunt ante Christi mortem, ducti ab illo Scripturae testimonio (Marci VI. v. 13.) *Ungebant oleo multos ægros et sanabant;* necnon ex verbis Concilii Tridentini (de inst: Sac: Extr: Unct: Cap. I.): nempe: *Instituta est Sacra haec Unctio infirmorum, tanquam vere, et proprie Sacramentum novi Testamenti a Christo Domino nostro apud Marcum quidem insinuatum, per* Jacobum *ac Domini Fratrem fidelibus commendatum, et promulgatum: Infirmatur quis in vobis?* etc. Alii aliter sentiunt. Tamen

§. 501. R. 2. Probabilius est, hoc Sacramentum institutum fuisse a Christo Domino post suam Resurrectionem. Nam per hoc Sacramentum potestas etiam confertur remittendi peccata: legitur quippe: *Et si in peccatis sit remittuntur ei.* Unctione autem illa apud Marcum insinuata, sanitas tantum infirmitatum dabatur. Deinde unctio hæc supponit, Apostolos jam fuisse ordinatos Sacerdotes, atque a Christo jam habuisse potestatem remittendi peccata; Ministri enim hujus Unctionis sunt Presbyteri; hoc est Sacerdotes: *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros* Ecclesiæ; Quando vero unctionem illam adhibebant Apostoli, et aegri sanabuntur, non erant adhuc Sacerdotes ordinati, neque potestatem habebant remittendi peccata; ultraquamquod, unctio fiebat aegrotis, ubi-

---

Extrema Unctione. Frassen Tomo X. disp. III. de Sac. Extremae Unct. Q. I. Antoiné Theol. Univ. Tomo. II. De Extr. Unct. Q. I.

cumque fuissent, nec opus erat, ut Apostoli introducerentur in domum ad curandos infirmos in lecto decumbentes; hæc autem unctio fit a Presbyteris ad infirmos Domi in lecto decumbentes, qui ad Ecclesiam pergere prohibentur, et quidem illis infirmis tantum, qui vita periclitantur. Tandem Extremae Unctionis Sacramentum, ut loquitur Tridentina Synodus (Doct: de Sac: Extremae Unct): *Non modo Pœnitentiæ, sed etiam totius Christianæ vitæ, quæ perpetua Pœnitentia esse debet, consummativum existimatum est a Patribus;* Ergo nonnisi post institutionem Sacramenti Poenitentiae institutum fuit; adeoque post Christi Resurrectionem.

Quaeres. *Quænam sit materia hujus Sacramenti?*

§. 502. R. Materia hujus Sacramenti duplex est; *remota* nempe, et proxima. Materia remota est oleum; *Ex Apostolica enim traditione per manus accepta . . . . intellexit Ecclesia, materiam esse oleum ab Episcopo benedictum*, scribit Tridentina Synodus (Antoinè Q. 23.): *Nam unctio aptissime Spiritus Sancti gratiam, qua invisibiliter anima ægrotantis inungitur, repræsentat.* Materia vero proxima est ipsa unctio; applicatio nempe olei benedicti. Id patet ex verbis laudatis Apostoli: *Ungentes eum oleo in nomine Domini*

Quaeres. *Quænam sit forma hujus Sacramenti?*

§. 503. R. Forma hujus Sacramenti consistit in his verbis: *Per istam Sanctam unctionem, et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus quidquid per visum, vel auditum, gustum, tactum, olfactum, vel per incessum, deliquisti.*

CAPUT VII.

De Ministro, et Subjecto Extremæ Unctionis.

§. 504. *Animad.* Hujus Sacramenti Ministros, non Sacerdotes, sed Populi Seniores esse, ex Lutheranis, et Calvinistis docuerunt permulti, ea ducti ratione, quod Presbyterorum nomine Seniores intelligantur. Verum decipiuntur.

PROPOSITIO I.

Minister Extremæ Unctionis est solus Sacerdos.

§. 505. Prob. S. Jacobus Apostolus hujus Sacramenti promulgator, ejus ministros, solos Sacerdotes assignat, dicens: *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ.* Ergo etc.

§. 506. Dices. Nomen Presbyteri seniorem significat; cum ergo dicat S. Jacobus, Presbyteros, ad hoc Sacramentum ministrandum esse vocandos, seniores intelligit; Ergo non solus Sacerdos, sed seniores sunt Ministri hujus Sacramenti.

§. 507. R. dist. un. Nomen Presbyteri, absque alio adjuncto, seniorem significat, conc., cum aliquo adjuncto, n. ans. cum consa. Etsi concedatur, Presbyteri nomen seniorem indicare, in laudato tamen S. Jacobi testimonio, ex adjunctis patet, non seniorem sed Sacerdotem significare. Et sane, non dicit Apostolus, ut infirmi inducant simpliciter seniores, sed *seniores Ecclesiæ*; seniores, qui orent super infirmum, seniores, qui vice Domini, et in ejus nomine sanctam peragant unctionem. Jam vero sunt ne senes saeculares, seniores Ecclesiæ, et tales Seniores, qui supradicta adimpleant? Minime gentium, sed tales sunt Sacerdotes qui ob morum gravitatem, et officii

dignitatem seniores quoque appellantur. Jure propterea Tridentina Synodus hunc edidit Canonem (Sess: XIV. Can. 4.): *Si quis dixerit, Presbyteros Ecclesiæ, quos B. Jacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse Sacerdotes ab Episcopo ordinatos, sed ætate seniores in quavis communitate, ob idque proprium Extremæ unctionis ministrum non esse solum Sacerdotem, anathema sit.*

PROPOSITIO II.

Christianus viator, adultus, et infirmus est hujus Sacramenti subjectum.

§. 508. Prob. et exponitur Propositio. Et primo quidem, Christianus *viator est subjectum hujus Sacramenti.* Nam ut alibi dictum est, janua omnium Sacramentorum est Baptismus, et pro hominibus viatoribus Sacramenta sunt instituta; ergo si hoc Sacramentum non baptizato conferretur, ad nihil valeret. 2. *Adultus.* Nam hoc Sacramentum est institutum ad tollenda peccata actualia venialia, et per accidens mortalia; Sed pueri ante usum rationis non sunt capaces Extremae Unctionis; adeoque adultus etc. 3. *Infirmus.* Nam *infirmatur quis in vobis*? ait S. Jacobus; quare docent Concilia (Florent.), quod hoc Sacramentum *nisi infirmo, de cujus morte timetur, dari non debet; et illis præsertim*, ait Tridentina Synodus (Sess. XIV. Cap. III.), *qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videantur;* Ergo etc.

Quaeres. *Quænam dispositiones ad Extremam Unctionem prærequirantur?*

§. 509. R. Quatuor potissimum requiruntur dispositiones. Prima, ut suscipiens sit in gratia, aut sibi conscius saltem, peccatum se mortale non habere: Secunda ut fiduciam habeat, et spem consequendi sa-

nitatem animae, et etiam corporis, si haec expediat: Tertia, ut habeat intentionem, saltem habitualem, recipiendi Sacramentum, et si fieri possit, conjungat intentionem, et preces suas intentioni, et precibus Ecclesiae: quarta tandem ut exinde speret concedendum esse sibi auxilium adversus Dæmonis insidias, et tentationes.

Quaeres. *An hoc Sacramentum sit necessarium?*

§. 510. R. Multorum Doctorum sententia, Sacramentum hoc necessarium est necessitate praecepti tum Divini, cum Ecclesiastici. Et sane verba illa S. Jacobi: *Inducat Presbyteros Ecclesiæ*, non videntur indicare simpliciter consilium, sed verum præceptum, cum sint imperativa. *Quare nulla ratione audiendi sunt*, inquit Tridentina Synodus (Ibid. ut supra.), *qui contra tam apertam, et dilucidam Apostoli Jacobi sententiam docent, hanc unctionem vel figmentum esse humanum, vel ritum a Patribus acceptum esse, nec mandatum Dei, nec promissionem gratiæ habentem.*

Quaeres. *Quot, et quinam sint effectus hujus Sacramenti?*

§. 511. R. Sunt quinque 1. *augmentum gratiae sanctificantis*; 2. *Remissio peccatorum*, si quæ sint expianda; 3. *Abstersio reliquiarum peccati*. 4. *Alleviatio animæ infirmi*, per magnam Divinae misericordiae fiduciam, quae in eo excitatur, *qua infirmus sublevatus, et morbi incommoda, ac labores levius fert, et tentationibus Dæmonis calcaneo insidiantis, facilius resistit*. 4. tandem est *corporeæ sanitatis adquisitio*, si animae saluti expediat.

TRACTATUS IV.

De Sacramentis Ordinis, et Matrimonii.

§. 512. Cum Sacerdotium, teste Justino Martyre (In Epist. ad Smirnenses.), omnium honorum quae in hominibus sunt, apicem dicat, adeo ut Theophylacti sententia (In Epis. ad Smirnenses.), *non erraverit quis, si Sacerdotium esse dixerit opificialem Dei potentiam*, facile colligitur quantæ dignitatis sit, utilitatisque in Ecclesia Dei Ordinis Sacramentum, quo homines, infirmitate circumdati, ad tam sublimem, atque superexcellentem gradum extolluntur. Neque interim pauci faciendum est Matrimonii Sacramentum; quod *sic esse honestum* inquit Justinianus Imperator (Novella 2.), *ut humano generi videatur immortalitatem artificiosam conciliare, et ex filiorum procreatione renovare genus humanum.* Imo Apostolus Paulus, Sacramentum magnum esse dixit (Vid. Concil. Florent. in Dec. Unionis.), quod signum sit conjunctionis Christi, et Ecclesiæ. De his ergo duobus reliquis Sacramentis, quod hic attinet, pauca dicemus. Nam de Ordine peculiarem Tractatum in sequenti Tomo, pro majori Clericorum ordinandorum commodo, exponemus; De Matrimonio, plura examinare necesse non est, quippe quae ad Theologos Morales potissimum spectent.

CAPUT I.

De Sacramenti Ordinis natura.

§. 513. *Animad.* Ordo varie sumi potest; hic autem accipitur dupliciter; vel nempe I. pro ipso gradu, officio, dignitate, potestate, quam quis obtinet in Ecclesia Dei; vel 2. pro ipsa actione, sive externa cæremonia, et ritu quo homini aliqua digni-

tas, et officium in Ecclesia Christi conceditur, et sic *sacra* etiam *ordinatio* appellatur. Et in hoc sensu illum usurpamus. Atque sic acceptus

§. 514. *Def. Ordo est Sacramentum Novæ legis a Christo Domino institutum; quo alicui homini gratia, spiritualisque potestas traditur ad Eucharistiam consecrandam, dispensandam, consecranti inserviendum, et ad reliqua Ecclesiastica munia rite obeunda.*

§. 515. *Schol.* Hæc de Ordine est Catholicorum doctrina. Sed Fidei Romanæ osores aliter sentiunt. Ex Veteribus namque Hæreticis, Tanchelinus, et Encratitæ, ex recensioribus vero Lutherani, atque Zuingliani, Ordinem e Sacramentorum albo expunxerunt. Quibus accensentur Calvinus, Beza, Fuscus minister Anglus; aliique ejusdem furfuris. Contra quos sit.

PROPOSITIO I.

Ordo est verum Novæ Legis Sacramentum.

§. 516. Prob. 1. In Ordine, sive in sacra ordinatione tria illa inveniuntur, quae secundum Hæreticorum ipsorum sententiam, requiruntur ad veri nominis Sacramentum constituendum; Et sane est in illa signum sensibile; Confertur enim Ordo per manus impositionem; II. per Ordinem confertur gratia; de quo signo sensibili et gratia, loquens Apostolus ad Timotheum, ait (Epist. II. Cap. I. v. 6.): *Admoneo te, ut resuscites gratiam, quæ in te est per impositionem manuum mearum;* III. adest institutio Divina; Christus namque dedit Apostolis potestatem conficiendi Corpus, et sanguinem suum, dicens (Lucæ Cap. XXII. v. 19.): *Hoc facite in meam commemorationem;* Ipse dedit eisdem Apostolis potestatem dimittendi, aut retinendi peccata; Ipse posuit Episcopos regere

Ecclesiam Dei, quam adquisivit Sanguine suo; Ergo etc.

§. 517. Prob. II. Auctoritate Patrum, et Conciliorum, et quoniam omnia definitione sua complectitur Tridentina Synodus, hujus solummodo testimonium hic afferatur (Sess. XXIII. Cap. VII.), quod est sequens: *Cum Scripturae testimonio, Apostolica traditione, et Patrum unanimi consensu perspicuum sit, per Sacram Ordinationem, quae verbis, et signis exterioribus perficitur, gratiam conferri, dubitare nemo debet, Ordinem esse vere, et proprie unum ex septem Sanctae Ecclesiae Sacramentis*: Ergo etc.

§. 518. Objic. Non legitur, Christum Dominum, in ordinatione Apostolorum, usum fuisse aliquo signo sensibili; Ergo Ordo, seu ordinatio non est Sacramentum.

§. 519. R. n. ans. Quando Christus ordinavit Apostolos Sacerdotes, porrexit eis suum corpus, et sanguinem sub speciebus, seu signis sensibilibus panis et vini, eisque dixit: *accipite, comedite etc; bibite etc: Hoc facite in meam commemorationem*. Caeterum, esto daretur, ex Scripturis non satis constare, quo praesertim signo sensibili, Christus ordinaverit Apostolos, constat tamen, Apostolos in Ordinatione administranda usos fuisse signo sensibili, nempe manuum impositione (§. 516.) quod certe a Christo accepisse credendum est, a cujus doctrina nunquam recesserunt.

§. 520. *Contra.* Atqui nec etiam quod Apostoli in Ordinatione usurparunt fuit signum sensibile, exprimens Sacramenti Ordinis collationem; Ergo n. r. Prob. subsm. Impositio manuum facta ab Apostolis respiciebat tam ordinandos, quam Deo per orationem commendandos. Ergo etc.

§. 521. R. n. ans. Non eadem erat impositio manuum, qua utebantur Apostoli in Ordinatione ad-

ministranda. Aliquando manus imponebant super infirmos ut eos curarent; aliquando manus imponebant super fideles ut acciperent Spiritum Sanctum, et in fide firmarentur, aliquando autem imponebant manus, cum Ecclesiæ Ministros ordinabant. Non ergo omnis impositio manuum, ejusdem rei signum erat; sed modo unius, modo alterius, prout eam adhibebant Apostoli. Adeoque impositio manuum, qua utebantur Apostoli in Ordine conferendo, non omnes respiciebat, sed ordinandos tantum. Et quod hæc manuum impositio, in ordinatione, peculiaris erat, satis ostendit Paulus dicens Timotheo (Epist. I. Cap. I. v. 22.): *Manus cito nemini imposueris.*

§. 522. *Contra.* Atqui talis manuum impositio communis erat omnibus; Ergo n. r: Prob. subsm. Si qua est ratio, qua asseratur, illam manuum impositionem esse peculiarem in Ordine conferendo, est certe illa, quod per eam impositionem manuum conferatur gratia; Atqui hæc ratio nullius est roboris; Ergo etc. Prob. min. Gratia illa, de qua loquitur Paulus ad Timotheum (Epist. I. Cap. IV. v. 14.), illi per manuum suarum impositionem collata: *Noli negligere gratiam etc.* est gratia gratis data, sequitur enim: *per prophetiam cum impositione manuum etc.*, non gratia sanctificans, et sacramentalis; Ergo etc.

§. 523. R. cum Angelico Doctore (Exposit. in hunc locum.). per prophetiam, ibi intelligi, non donum prophetiæ gratis datum simpliciter, sed divinam inspirationem. « Nam in primitiva Ecclesia, ubi bene » et propter Deum electiones fiebant, nullus assumebatur ad Episcopatum, nisi per electionem Divinam, sicut electus est Ambrosius, et Nicolaus. Et » hanc inspirationem vocat hic prophetiam. Unde » Glossa dicit, idest per Sanctorum electionem, quia » non eligebant quem a Deo non sciebant electum ». Ergo etc.

CAPUT II.

De Ordinum numero, eorumque distinctione, et natura.

§. 524. *Animad.* Ordinis Sacramentum non est, nisi unum, alias non septem, sed plura dici deberent Sanctae Ecclesiæ Sacramenta. Quoniam vero Ordo est plurium graduum, et dignitatum Ministrorum Ecclesiae consensio in unum tendentium, ad Eucharistiam nempe perficiendam, aliisque ministrandam; hinc et plures numero Ordines esse in Ecclesia, semper est observatum. *Cum enim*, ait Tridentina Synodus (Sess. XXI. II. Cap. II.), *Divina res sit tam Sancti Sacerdotii ministerium, consentaneum fuit, quo dignius et majori cum veneratione exerceri posset, ut in Ecclesiæ ordinatissima dispositione plures, et diversi essent Ministrorum ordines, qui Sacerdotio ex officio deservirent, ita distributi, ut qui jam clericali tonsura insigniti essent, per minores ad majores ascenderent.* Vel ab ipso namque Apostolorum tempore mentio occurrit de Episcopis, de Presbyteris, et Diaconibus; de aliis vero Ordinibus idipsum fere conspicitur.

§. 525. *Schol.* Difficultas hic modo est de Ordinum numero, qualis revera sit. Et quidem aliqui ex recensioribus Hæreticis tres Ordines tantum admittunt, Episcoporum nempe, Presbyterorum, et Diaconorum; ita præ cæteris Calvinus, et Kemnitius; Alii omnem Ordinum distinctionem, et pluralitatem rejiciunt, ita Anabaptistæ, et alii eorum sectatores. Ex Catholicis vero, nonnulli putant, Ordines esse septem; et hæc sententia est hodie receptissima in Ecclesia; alii putant esse octo, addentes Sacerdotio Episcopatum; Alii novem adjicientes Tonsuram in Ordinum Numerum; et alii tandem decem, adjungentes ordinem Cantorum, vel Psalmistarum. Inter

hos autem, hæc alia Quæstio agitatur: An nempe singulis Ordinibus ratio Sacramenti competat. Quid nos in tanto auctorum dissidio tenendum esse putamus, ex sequentibus patebit.

PROPOSITIO I.

Ordines proprie dicti in Ecclesia sunt septem; scilicet; 1. Ostiariatus; 2. Lectoratus; 3. Exorcistatus, 4. Acolythatus; 5. Subdiaconatus; 6. Diaconatus, et 7. Presbyteratus.

§. 526. Prob. Nam de Presbyteratu, et Diaconatu loquuntur Scripturae, de aliis vero ait Tridentina Synodus (Sess. XXIII. Cap. II.). *Ab ipso Ecclesiæ initio sequentium Ordinum nomina, atque uniuscujusque eorum propria ministeria, Subdiaconi, scilicet, Acolythi, Exorcistæ, Lectoris, et Ostiarii in usu fuisse cognoscuntur, quamvis non pari gradu. Nam Subdiaconatus ad majores Ordines a Patribus et Sacris Conciliis refertur, in quibus et de aliis inferioribus frequentissime legimus*; Ergo etc.

Quæres. *An sit aliqua distinctio inter Ordines prædictos?*

§. 527. R. affirm. Nam Subdiaconatus, Diaconatus, et Presbyteratus dicuntur Ordines majores, et Sacri, non item alii quatuor. Nam illi adnexum habent votum castitatis, et majorem conferunt potestatem, isti non item.

Quæres. *An quilibet ex his septem Ordinibus sit vere Sacramentum?*

§. 528. R. Quoad Sacerdotium, certum est de Fide, quod sit Sacramentum. Quare Tridentina Synodus (Sess. XXIII. Can. 4.) hæc habet: *Si quis dixerit, per Sacram ordinationem non dari Spiritum Sanctum; ac proinde frustra Episcopos dicere:*

Accipe Spiritum Sanctum; aut per eam non imprimi Characterem, vel eum, qui Sacerdos semel fuit, Laicum rursus fieri posse, anathema sit. De Diaconatu nulla pariter est difficultas apud Eruditos. Constat enim eum conferri per manuum impositionem; hincque esse gratiæ collativum; et a Christo Domino institutum. Difficultas est de Subdiaconatu, cæterisque Ordinibus Minoribus; Unde sit

PROPOSITIO II.

Probabilius videtur, Subdiaconatum, et alios Minores Ordines, singulos veri nominis esse Sacramentum.

§. 529. Prob. Concilium Florentinum, postquam dixit, Ordinem in genere esse Sacramentum, ejusque materiam, et formam esse id, per cujus traditionem confertur Ordo, ponit sub Ordine, tamquam speciem sub genere, Subdiaconatum, et reliquos Ordines; Atqui quod convenit generi, convenit speciei sub ipso contentæ; Ergo si Ordini in genere convenit ratio Sacramenti, convenit quoque Subdiaconatui, aliisque Ordinibus. Deinde Tridentina Synodus postquam (Sess. XXIII. Cap. II.) docuerat, septem esse Ordines, eosque singulatim specificasset, indefinite conclusit, Ordinem esse vere Sacramentum; Sed propositio indefinita, in materia Fidei æquivalet Universali; Ergo dicens Tridentina Synodus Ordo est Sacramentum, censetur dicere: *Omnis ordo est Sacramentum.* Praeterea quilibet Ordo, etiam minor, veram habet Ordinis Ecclesiastici rationem, estque vera ordinatio sacra; nam non sæcularia ministeria peragenda suscipit, qui ordinatur, sed spiritualia, et quæ Deum spectant; et ordinatio quidem quae verbis, et signis exterioribus perficitur, traditione nempe instrumenti, et verborum

forma; Sed per verum Ordinem, veramque ordinationem sacram, quae verbis, et signis exterioribus perficitur, secundum Tridentini Doctrinam, gratia confertur; Ergo etc. Tandem quilibet Ordo specialem facultatem confert ad quaedam munia Ecclesiastica solemniter exhibenda; quilibet Ordo imprimit Characterem, neque iterari potest; Sed conferre specialem facultatem etc. supponit collationem quoque auxilii specialis ad ea munia obeunda; et Characterem in anima imprimere solius est Sacramenti; Ergo probabilius etc. (1).

Atque hæc de Ordine modo dixisse sufficiat.

CAPUT III.

De Sacramento Matrimonii.

§. 530. *Animad.* Matrimonium sic dictum, quasi *Matris munium*, vel *matris onus*, *et munus*, tripliciter considerari potest; uti *contractus* nempe, uti *vinculum*, et uti *Sacramentum.*

§. 531. *Def.* 1. Matrimonium uti vinculum, *est maris, et fœminæ conjunctio, individuam vitæ societatem retinens.*

§. 532. *Def:* 2. Matrimonium uti Contractus, *est contractus legitimus, quo vir et fœmina sibi mutuo tradunt, et acceptant corporum suorum potestatem in ordine ad actum generationis, ut se obligent ad se mutuo juvandum, et perpetuo cohabitandum.*

§. 533. *Def.* 3. Matrimonium uti Sacramentum: *Est contractus supradictus, Divinitus institutus, in*

(1) Vid Frassen Tract. III. de Sacram. Disp. I. Art. II. Henno Tract. VII. Disp. unica Q. II. Concl. IV. Manstrius Disp. XIX. Q. I. Art. I. n. 6. Ferraris etc.

signum conjunctionis Christi cum Ecclesia, habens promissionem gratiæ ad uniendos simul conjunctim animos, et prolem pie, ac sancte educandam.

§. 534. *Schol:* Matrimonium insuper aliud est *Legitimum*, aliud *Ratum*, et aliud *Consummatum.*

§. 535. *Def. 4. Matrimonium legitimum est illud, quod legitime inter personas ad contrahendum habiles, mutuo consensu, contrahitur.*

§. 536. *Def. 5. Matrimonium Ratum est illud quod a fidelibus contrahitur, et ab Ecclesia ratum habetur, atque approbatur; unde et rationem, atque efficaciam Sacramenti acquirit.*

§. 537. *Def. 6. Matrimonium Consummatum est illud, quod mutua carnali copula conjugum perfectum est.*

§. 538. *Schol.* Matrimonium esse rem malam, illicitam, atque a Dæmone inductam, plures ex Veteribus docuerunt; tales fuerunt Simon Magus, Saturninus, Marcion, Encratitae, Manichæi, Priscillianistæ, Albigenses etc. Joannes autem Hus, Lutherus, Calvinus, et alii eorum asseclae, negare non sunt ausi, nuptias esse licitas; at Matrimonium Sacramentum esse, apertissime inficiantur; Unde Lutherus, Matrimonium dicebat, non Sacramentum, sed ab hominibus in Ecclesia invectum. Contra quos sit.

PROPOSITIO I.

Matrimonium, et ejus usus licitum est, atque honestum.

§. 539. Probatur. Matrimonium est a Deo institutum; Ergo etc. Unde Christus Dominus (Matth. Cap. XIX. v. 6.): *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Deinde ait Apostolos (Epist. I. ad Corinth. Cap. VII.): *Qui Matrimonio jungit virginem*

suam, *bene facit;* et de usu Matrimonii loquens, inquit (Ibid. v. 3.) : *Uxori vir debitum reddat . . . et uxor viro ;* Ergo etc.

PROPOSITIO II.

Matrimonium Christianorum est veri nominis Sacramentum.

§. 540. Prob. : In Matrimonio omnia inveniuntur quæ ad constituendum veri nominis Sacramentum requiruntur ; Ergo etc. Prob. ans. In Matrimonio adest 1. signum sensibile, mutuus nempe consensus, seu contractus externus ; 2. Signum rei sacrae, efficax, et gratiae productivum, quam significat, *Quod*, teste Tridentina Synodo (Sess. XXIV. Cap. unico.), *Paulus innuit*, *dicens* : *Viri diligite uxores vestras*, *sicut Christus dilexit Ecclesiam*, *et seipsum tradidit pro ea*, *mox subjungens*, *Sacramentum hoc magnum est* : *Ego autem dico in Christo et in Ecclesia.* Tertio, a Christo Domino institutum ; et oppositum damnatum fuit a laudata Tridentina Synodo his verbis : *Si quis dixerit*, *Matrimonium non esse vere*, *et proprie unum ex septem Legis Evangelicæ Sacramentis a Christo Domino institutum*, *sed ab hominibus in Ecclesia invectum*, *neque gratiam conferre*, *anathema sit* ; Ergo etc.

§. 541. Dices. 1. Quod pugnat cum aliquo Sacramento nequit esse Sacramentum ; sed Matrimonium pugnat cum Sacramento Ordinis, quia nequeunt esse simul in eodem subjecto ; Ergo Matrimonium non est Sacramentum.

§. 542. R. Matrimonium, et Ordo non possunt esse simul in eodem subjecto, non quia pugnant inter se ; sed quia Ordinati in sacris, cum se continentiæ voto obstrinxerint, inhabiles ad contrahendum Matrimonium sunt facti.

§. 543. Dices 2: Si Matrimonium esset Sacramentum, non posset licite contrahi cum pacto de danda certa pecunia; Atqui licite contrahitur; Ergo etc.

§. 544. R. Hoc verum esset si pecunia daretur pro Sacramento; At pecunia non pro Sacramento, sed pro sustinendis Matrimonii oneribus, datur. Ergo etc.

De Matrimonii proprietatibus.

§. 545. *Animad.* Matrimonii proprietates tres vulgo esse dicuntur; nempe 1. *Unitas*, qua plures viri uni uxori simul prohibentur. 2. *Indissolubilitas*, qua vir ab uxore quandiu vivunt, nequeat separari. 3. *Castitas*, qua Matrimonii usus sanctificatur.

§. 546. *Schol*: 1. Unitati Matrimonii opponitur *Polygamia*, hoc est pluralitas uxorum; quae duplex esse potest; vel *simultanea*, si plures simul uxores vir habeat, vel *successiva*, si mortua priore uxore, alteram ducat.

§. 547. *Schol*: 2. Indissolubilitati Matrimonii opponitur *divortium*, separatio nempe conjugum a se invicem. Hoc autem divortium dupliciter potest intelligi, et quoad vinculum nempe, quo scilicet vinculum Matrimonii solvitur, et conjuges liberi manent, ut possint ad alias nuptias transire; vel quoad thorum, aut thorum simul et habitationem, veluti cum manente Matrimonii vinculo, ob justas caussas, conjunges ab invicem, vel ad tempus, vel in perpetuum separantur. Verum circa hoc sunt

Variæ auctorum sententiæ.

§. 548. Montanistae namque, quibus adhæsit ipse Tertullianus, et Novatiani, Polygamiam successivam, seu secundas nuptias plane damnarunt. Lutherus Polygamiam simultaneam adeo probavit, ut

etiam in Lege Evangelica, urgente necessitate, licitam esse dixerit. Contra Calvinus, adeo jure naturæ prohibitam eam dixit, ut hac in parte, reos facere non sit veritus antiquos Patriarchas, apud quos Polygamia fuit in usu. Licet autem in hoc dicti Haeresiarchae discordent, in eo autem conveniunt, quod Matrimonium multis de caussis solvi possit. Eadem effutire non pauci nostri temporis scioli ausi sunt. Contra quos sit

PROPOSITIO I.

Polygamia successiva nec in se mala est, nec prohibita.

§. 549. Prob. Ex Scripturis. Apostolus ad Corinthios scribens ait (Epist. I. Cap. VII. v. 39.): *Mulier alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit; quod si dormierit vir ejus liberata est, cui vult nubat, tantum in Domino;* et antea dixerat (v. 8. 9.) *Dico autem non nuptis; et viduis, bonum est illis si sic permaneant, sicut et ego. Quod si non se continent, nubant; melius est enim nubere quam uri;* Ergo etc.

PROPOSITIO II.

Polygamia simultanea, secundariis naturæ principiie adversatur; adeoque est illicita.

§. 550. Prob. I. P. Matrimonium, juxta prima naturae principia, ad filiorum procreationem, eorumque educationem institutum est; atqui experientia teste, unus vir potest plures mulieres fœcundare, filiosque ex illis genitos alere, atque educare; Ergo Polygamia non repugnat primis principiis.

§. 551. Prob. II. P. Polygamia simultanea obversatur primariae institutioni Matrimonii; unam namque

fœminam Deus creavit, et uni viro conjuxit (Gen. Cap. I. v. 27.); Ergo est illicita. Deinde in primo Matrimonio, quod contrahitur, maritus traditur uxori, sed ex Legis naturae principiis, res uni tradita, nequit adhuc alteri tradi; Ergo etc. Tandem uxorum pluralitas pacificae cohabitationi opponitur, exactam prolis educationem difficiliorem reddit, et thori æqualitatem turbat, estque plurium inconvenientium caussa, et origo; sed hæc omnia secundariis naturæ principiis opponuntur. Ergo etc.

PROPOSITIO III.

Post diluvium, ut multiplicaretur genus humanum, permisit Deus antiquis Patriarchis, atque Israelitis, ut plures ducerent uxores.

§. 552. Prob. Abraham, Jacob, Elcana, David et alii viri Sancti, Legis Divinae observatores, Deo chari; et accepti, plures habuerunt uxores; Ergo id fuit eis licitum ex Divina permissione, ut multiplicaretur Dei populus. Adeoque etc. (1).

PROPOSITIO IV.

In Evangelica Lege Christus Dominus Polygamiam sustulit, atque ad primævam suam originem Matrimonium revocavit.

§. 553. Prob Apud S. Marcum ait Christus Dominus (Cap. X. v. 11. 12.): *Quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adulterium committit super eam;* Ergo a fortiori qui propriam

---

(1) Vid. Antoinè de Matrim. Q. X. §. III. Tournely Q. V.

retinens uxorem, aliam simul ducit, adulterium committit. Deinde Christus, ut ostenderet illicitam esse uxorum pluralitatem, revocat in mentem Pharisæorum, primævam Matrimonii institutionem: *non legistis* inquit (Matthæi Cap. XIX. v. 3.), *quia qui fecit hominem ab initio, masculum et fœminam fecit eos?* Et dixit: *propter hoc relinquet homo patrem, et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una. Non dixit*, optime Innocentius III., *tres vel plures, sed duo: nec dixit adhærebit uxoribus, sed uxori* (Cap. VIII. de Divortio.). Ergo etc. Hinc jure Tridentina Synodus decrevit, dicens (Sess. XXIV. Can. 2.): *Si quis dixerit, licere Christianis plures simul habere uxores, et hoc nulla Lege Divina esse prohibitum, anathema sit.*

PROPOSITIO V.

Matrimonium tam jure naturali, quam Divino positivo est, quoad vinculum, indissolubile.

§. 554. Prob. I. P. Ad assequendum finem, media necessario esse debent; Atqui ad fines Mrtrimonii assequendos necessaria est ejus indissolubilitas; Ergo jure naturae etc. Prob. min. Fines Matrimonii, ex ipsa sua institutione, sunt filiorum conveniens procreatio, eorumdem recta, et commoda educatio, et arctissimus inter conjuges animorum nexus. Atqui si Matrimonium solvi posset quoad vinculum, neque conveniens filiorum procreatio, eorumdemque recta educatio obtineri posset, neque nexus arctissimus inter conjuges duraret; Ergo Matrimonii indissolubilitas etc.

§. 555. Prob. II. Christus Dominus Matrimonium ad primævam suam institutionem revocavit, dicens (Matthæi Cap. XIX. v. 3.): *Qui fecit hominem ab initio, masculum et fœminam fecit eos*, et dixit, *propter hoc dimittet homo patrem, et ma-*

trem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro; Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet. Ergo etc.

§. 556. *Coroll.* Ex quibus clare deducitur, Matrimonium Christianorum consummatum, alterius conjugis adulterio, quoad vinculum numquam solvi. Quare Tridentina Synodus optime statuit, dicens (Sess. XIX. Can. 7.): *Si quis dixerit Ecclesiam errare, cum docuit, et docet, juxta Evangelicam, et Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum Matrimonii vinculum non posse dissolvi; utrumque vel etiam innocentem qui causam adulterio non dedit; non posset, altero conjuge vivente, aliud Matrimonium contrahere, mœcharique eum, qui dimissa adultera aliam duxerit, et eam quæ dimisso adultero, alii nupserit, anathema sit* (1).

§. 557. Dices contra I. P. In Lege naturæ dispensatio non cadit; Sed Deus in veteri lege cum hominibus dispensavit circa indissolubilitatem Matrimonii; Ergo etc.

§. 558. R. dist. maj. In lege etc. Dispensatio proprie dicta, conc., impropria, n. maj. Sed Deus etc. dist. min., dispensavit dispensatione proprie dicta n. min., dispensatione impropria, conc. min, et n. consm. Deus in Veteri lege non proprie, sed improprie cum Israelitis dispensavit permittendo eis divortium; nam non dedit eis facultatem faciendi divortium auctoritate privata cujuscumque, sed ipsius concessione. Cum namque ipse sit Dominus omnium, et ipsi cura sit de omnibus, ob duritiam cordis eorum, mutavit legis indissolubilitatis materiam, et sustulit conditiones illas, sub quibus lex illa obligabat, sicque lex illa obligare desiit; quoad illos (2).

---

(1) Vid. Tournely pag. 16.
(2) Vid. §. 78. Tomi V. Antoine de Matrimonio Q. VII.

§. 559. Dices 2. Caussa fornicationis, et adulterii potest vir uxorem dimittere; id enim supponere videtur Christus, cum dixit (Matthæi Cap. XIX. v. 3.): *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, mæchatur*; Ergo Matrimonium aliquando dissolvi potest; scilicet per adulterium uxoris.

§. 560. R. dist. ans. Caussa etc., quoad thorum, vel cohabitationem, idque sive ad tempus, sive in perpetuum, conc. ans.; dimittere quoad vinculum, itaut illa possit alium accipere virum, et ipse aliam ducere in uxorem; n. ans. cum consa. Cum Christus Matrimonium ad primævam institutionem reduxit, dicens: *Quod Deus conjunxit, homo non separet*: proculdubio permittens viro, ob mulieris adulterium eam dimittere, non loquitur de dimissione totali, et quoad vinculum, sed quoad thorum, et cohabitationem. Si hoc ita non esset, non dixisset absolute apud Marcum (Cap. X. v. 9.): *Quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adulterium committit super eam*. Unde Apostolus (Epist. I. ad Corinth. Cap. VII. v. 10. 11.): *Iis, qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere. Quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat*. Ergo etc.

Quæres. *Datur ne casus, in quo aliquod Matrimonium dissolvatur?*

§. 561. R. affirm.: Nam Matrimonium ratum, et non consummatum dupliciter dissolvi potest, 1. per professionem solemnem in aliqua Religione approbata, uti statuit Tridentina Synodus, dicens (Sess. XXIV. Can. 4.): *Si quis dixerit Matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem Religionis professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit*. 2. dissolvi potest per Summi Pontifici dispensationem, uti docent multi graves Theologi. Caussa

autem dispensationis debet esse justa, et urgens, agitur enim de materia gravi.

CAPUT V.

De Solemnitatibus Contractus Matrimonialis.

§. 562. *Animad.* Contractus Matrimonialis solemnitates hæ sunt: *Sponsalia*, *proclamationes*, *Parentum consensus*, *ipse contrahentium consensus*, *Parochi*, *et testium præsentia*, nec non *benedictio Ecclesiastica.*

§. 563. *Def*: 1. *Sponsalia a spondendo dicta, sunt futuri Matrimonii mutua promissio, et acceptatio deliberata, et spontanea, externis signis expressa, inter personas ad contrahendum habiles.*

§. 564. *Schol.* Sponsalia licet ad valorem et firmitatem Matrimonii necessaria non sint, sunt tamen maxime utilia. Illis namque fit ut futuri conjuges, rei gravitatem serio percipiant; tempus habeant adimplendi conditiones in contractu appositas; et insuper se disponendi ad Sacramentum rite suscipiendum.

§. 565. *Def*: 2. *Proclamationes* nihil aliud *sunt* quam *publicæ declarationes*, *seu denunciationes futuri Matrimonii inter tales.*

§. 566. *Schol.* Proclamationes eo fine ab antiquis usque temporibus præscriptæ sunt, ut si quod sit impedimentum inter futuros conjuges, appareat, et ita variis malis, atque inconvenientibus occurratur, quæ ex Matrimoniis inconsiderate contractis oriuntur.

§. 567. *Animad.* Quoad consensum Parentum ad Matrimonii valorem, et solemnitatem, Novatores eum Catholicis non conveniunt. Lutherani namque, et Calvinistæ non solum illicitum dicunt Matrimonium a filiis familias contractum insciis, vel invitis parentibus, sed penitus irritum, ac nullum, jure tam naturali, quam Divino. Idipsum docuerat Erasmus. Op-

positum tenent Catholici. Nos quæ de his, aliisque Matrimonii solemnitatibus dicenda esse fideliter amplectimur, distinctis prepositionibus exponemus.

PROPOSITIO I.

Ex præcepto Ecclesiastico, proclamationes necessario faciendæ sunt.

§. 568. Prob. ex Concilio Lateranense IV. (Anno 1215.), in quo ita definitum legimus: *Statuimus, ut cum Matrimonia fuerint contrahenda, in Ecclesiis per Præsbyteros publice proponantur competenti termino præfinito, ut infra illum, qui voluerit, et valuerit, legitimum impedimentum opponat etc.* Idipsum confirmavit Tridentina Synodus; atque insuper præcepit, ut (nisi rationabilis caussa aliter fieri suadeat) in posterum, antequam Matrimonium contrahatur, *ter a proprio contrahentium Parocho, tribus continuis diebus festivis in Ecclesia intra Missarum solemnia publice denuntientur, inter quos Matrimonium contrahendum*; Ergo etc..

PROPOSITIO II.

Ad valorem Matrimonii necessarius non est Parentum consensus.

§. 569. Prob. De vidua loquens Apostolos (Corint. Epist. I. Cap. VII.) ait: *Cui vult nubat, tantum in Domino*; Ergo etc. Quare merito a Tridentina Synodo damnantur illi, qui falso affirmant, Matrimonia a filiis familias, sine consensu parentum contracta, irrita esse, et parentes ea rata, vel irrita facere posse (Vid. Tournely; aliosque etc.).

PROPOSITIO III.

Ad valorem Matrimonii requiritur contrahentium consensus; qui 1. debet esse verus ex utraque parte: 2. signo aliquo externo expressus: 3. de præsenti: 4. simul moraliter: et 5. omnino liber.

§. 570. Exponitur, et simul probatur Propositio. Et 1. consensus debet esse verus, scilicet internus et ex corde, idque ex utraque parte. Nam Matrinium in veritate contrahitur per legitimum viri, et mulieris consensum. Hinc graviter peccat et contra veracitatem, et contra justitiam, et contra reverentiam Sacramento debitam, qui ficte contrahit Matrimonium: Contra veracitatem quidem, quia mentitur in re gravi; contra justitiam, quia fraude, et dolo alterum contrahentem decipit; contra reverentiam Sacramento debitam, falso ejus signa adhibendo. 2. *Signo externo expressus*; quia alias non posset cognosci, et acceptari; 3. *de præsenti*, quia cum Matrimonium sit Sacramentum, tunc efficit quod significat; actualem nempe, et mutuam in corpora potestatem. 4. *esse simul moraliter*, hoc est non sit consensus unius revocatus, dum alterius consensus exprimitur. 5. *Omnino liber*; hoc est immunis a metu gravi, injuste a caussa libera incusso.

PROPOSITIO IV.

Parochi, vel alterius Sacerdotis præsentia de Parochi licentia, ac duo, vel tres testes ad contrahendum Matrimonium, necessario requiruntur.

§. 571. Prob. ex Concilio Tridentino, in quo ita statutum habetur (Sess. XXIV. de Re: Matrim. Cap. I.). *Qui aliter, quam præsente Parocho, vel alio Sacerdote, de ipsius Parochi seu Ordinarii li-*

centia, et duobus, vel tribus testibus Matrimonium contrahere attentabunt, eos Sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inabiles reddit, et hujusmodi contractus irritos et nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit, et annullat. Ergo etc.

Quæres. *Quid Tridentina Synodus præscripserit circa benedictionem nuptialem?*

§. 572. R. *Sancta Synodus* (Ibid.) *hortatur, ut conjuges ante benedictionem Sacerdotalem, in Templo suscipiendam, in eadem domo non cohabitent, statuitque, benedictionem a proprio Parocho fieri, neque a quoquam, nisi ab ipso Parocho, vel ab Ordinario; licentiam ad prædictam benedictionem faciendam alii Sacerdoti concedi posse.*

CAPUT VI.

De Ministro, et subjecto; deque materia, et forma hujus Sacramenti?

§. 573. *Animad.* Circa Ministrum hujus Sacramenti duplex est Theologorum sententia. Putant aliqui cum Melchiore Cano, Toleto, Petro de Marca, aliisque, Ministrum Matrimonii esse Sacerdotem; alii communiter tenent, ipsos contrahentes esse. Circa materiam quoque, et formam hujus Sacramenti, variæ circumferuntur opiniones. Volunt aliqui materiam esse consensum contrahentium verbis expressum: formam vero verba illa, quæ profert Sacerdos. Opinantur alii, materiam esse mutuam corporum traditionem, formam vero mutuam corporum acceptationem; et alii alia sentiunt. Quod vero ad subjectum attinet, fatentur omnes esse masculum et fœminam, viatores; Comprehensores enim nec nubunt, neque nubentur, sed sunt sicut Angeli Dei in Cælo.

§. 574. At omnes ne viri, et mulieres possunt Matrimonia contrahere? Minime quidem; adsunt

quippe impedimenta aliqua, quæ qui habet, aut omnino, aut saltem non licite potest contrahere Matrimonium.

§. 575. *Schol.* Jam vero hæc impedimenta duplicis sunt generis, alia enim dicuntur *impedimenta impedientia*; quæ prohibent tantum, aut impediunt Matrimonii celebrationem, non vero illud jam contractum irritant, aut nullum reddunt; Ita ut peccent qui taliter impediti Matrimonium contrahunt, Matrimonium vero est validum. Hæc impedimenta, quæ modo certo vigent, quatuor numerantur, suntque in hoc versiculo comprehensa.

Ecclesiæ Vetitum, Tempus, Sponsalia, Votum.

Alia dicuntur *Impedimentia dirimentia*, quae Matrimonium invalidum, et nullum reddunt. Haec post Tridentinum, quindecim sunt, quae sequentibus continentur versibus:

Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen,
Cultus disparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honestas.
Ætas, affinis, si Clandestinus, et impos,
Raptaque sit mulier, nec parti reddita tutæ.
Hæc facienda vetant Connubia, facta retractant (1).

§. 576. *Animad.* Ex his autem Impedimentis quatuor, nempe *Error*, *Consanguinitas* in certo gradu; *Ligamen, et impotentia* perpetua sunt de jure Naturæ; reliqua vero de jure Ecclesiastico.

§. 577. At potest ne Ecclesia impedimenta Ma-

(1) Horum Impedimentorum explicationem vide apud Theologos Morales.

trimonium dirimentia statuere? Novatores, quibus est persuasum, Matrimonium non esse Sacramentum; consequenter Ecclesiæ omnem adimunt potestatem, hujusmodi impedimenta statuendi, eamque solummodo Principum sæcularium propriam esse affirmant. Novatoribus adhæsere Marcus Antonius de Dominis Archiepiscopus Spalatensis Apostata, et Launojus Theologus Parisiensis. Nos quae in proposita materia, expositione necessario indigent, distinctis propositionibus absolvemus.

PROPOSITIO I.

Probabilius est Sacramenti Matrimonii Ministrum esse ipsosmet Conjuges. Materiam vero remotam contrahentium corpora, proximam ipsorum corporum traditionem, formam autem esse eorumdem verba, vel nutus, vel signa alia æquivalentia consensum sufficienter exprimentia.

§. 578. Prob. I. P. Si Matrimonii Minister debuisset esse Sacerdos ipse, qui nuptias benedicit, Matrimonia Clandestina numquam fuissent valida, quia sine Ministro Sacerdote facta; Atqui ex Concilio Tridentino (Sess. XXII. Cap. I.) constat, *Matrimonia Clandestina, quæ olim fiebant, absente Sacerdote, sine ullis ejus verbis, fuisse valida, quamdiu Ecclesia ipsa non irritavit*; Ergo etc.

§. 579. Prob. II. P. Materia remota contractus est res illa, quae alteri traditur, et cujus dominium in alterum transfertur; Atqui in contractu Matrimoniali, non aliud conjuges, quam corpora sibi invicem donant, et quorum in ipsos ab invicem transfertur dominium; Ergo etc. Deinde materia proxima contractus est traditio rei; circa quam contractus versatur; Sed res circa quam Matrimonium versatur

sunt contrahentium corpora; Ergo talium corporum traditio est materia proxima hujus Sacramenti.

§. 580. Prob. III. Forma Matrimonii illa est profecto, quae materiam determinat ad esse tale Sacramentum; Atqui talia sunt verba etc. consensum sufficienter exprimentia, dicente Concilio Florentino (In Decret.): *Caussa efficiens Matrimonii regulariter est mutuus consensus, per verba de præsenti expressus*; Ergo forma etc. Hinc optime Angelicus Doctor: *Dicendum*, inquit (1): *quod verba exprimentia consensum de præsenti, sunt forma hujus Sacramenti, non autem sacerdotalis benedictio, quæ non est de necessitate Sacramenti, sed de solemnitate* (2).

PROPOSITIO II.

Ecclesia potestatem habet constituendi impedimenta Matrimonium dirimentia.

§. 581. **Prob.** Sacramentorum administratio ad Ecclesiam proprie spectat; Atqui Matrimonium est Sacramentum (§. 540.); Ergo ejus administratio ad Ecclesiam spectat; Adeoque etc. Hinc recte definitum fuit a Tridentina Synodo (Sess. XXIV. Can. 4.); *Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta Matrimonium dirimentia, vel in eis constituendis errasse, anathema sit* (3).

---

(1) In IV. Sent. ad Hannibald. Dist. 26. Q. I. Art. 1. ad I.

(2) Vid. Ferraris V. Matrimonium n. 24. et seq. Frassen de Matrim. Disp. II. Art. V. Q. 3. Antoine Q. III. Henno Disp. II. Q. VI.

(3) An autem Principes Saeculares eamdem habeant facultatem consule Tournely Dis. VII. Art. II. Ex Charmes Q. III. Cap. IV. Art. I. q. 3.

PROPOSITIO III.

In impedimentis Matrimonium dirimentibus, quæ sunt de Jure Ecclesiastico, potest Summus Pontifex dispensare.

§. 582. Prob. Nam Summus Pontifex (C. Proposuit, de concess. præbendarum) *secundum plenitudinem potestatis, de jure potest supra jus dispensare.* Ergo etc. Cavere tamen debet, quod ut licita sit dispensatio, non fiat sine justa caussa; etenim *in contrahendis Matrimoniis,* recte docet Tridentina Synodus (Sess. XXIV. de Ref. Cap. V.), *vel nulla omnino detur dispensatio, vel raro; idque ex caussa;* alias inquit S. Bernardus (Lib. III. de Consid. ad Eugenium Cap. 4.): *non plane fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est.*

Quæres. *Utrum inter Deiparam, et S. Joseph verum intercesserit Matrimonium?*

§. 583. Affirm. Nam apud S. Matthæum (Matth. Cap. I. *Joseph* appellatur *vir ejus*, scilicet Mariae, et Maria vicissim appellatur *conjux* S. Josephi; dicitur namque: *Joseph autem vir ejus* etc. *voluit occulte dimittere eam;* et quod Joseph audiens ab Angelo: *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam, accepit conjugem suam;* Atqui in Scripturis vir et conjux illi solum dicuntur, qui Matrimonio juncti sunt; Ergo etc. (1).

Quæres. *Quinam sint Matrimonii Effectus?*

§. 584. R. præter gratiam habitualem non ponentibus obicem, et gratiam Sacramentalem, ut onera

---

(1) Vid. Tournely Q. I. Concl. I. P. 4. Henno Disp. III. Q. III. C. 1. Berti Lib. XXXVII. Cap. III. Becanus 591.

Matrimonii sustineantur, principaliores alii ejus effectus sunt tria bona. *Bonum, quod habent Nuptiæ*, ait S. Augustinus (Lib. IV. de Genesi ad Litteram Cap. VII.), *tripartitum est, Fides, Proles, Sacramentum; In Fide attenditur, ne præter vinculum conjugale, cum altera, vel altero concubatur; in Prole ut amanter suscipiatur, benigne nutriatur, religiose educetur; in Sacramento, ut conjugium non separetur, ut dimissus aut dimissa, nec caussa prolis alteri conjungatur* (1).

FINIS TOMI VI.

(1) Quoniam quae in hoc Tomo collegimus satis obvia sunt penes Auctores omnes Theologiæ Moralis, et etiam Scholasticos, tam solliciti non fuimus in illis saepius citandis. Praeter citatos autem, qui plura legere cupit. Videat Bellarminum, Juenin, Sanchez etc. Ex-Charmes uniliati etc.

TOMI VI. INDEX.

TRACTATUS I.

TRACTATUS II.

TRACTATUS III.

TRACTATUS IV.

ERRATA CORRECTA.

Pag. 3. v. 10. Sacrametis, *lege*, Sacramentis. *Pag.* 4. *v.* 13. Sacramementum, *lege*, Sacramentum. *Pag.* 7. *v.* 26. Sacramento, *lege* Sacramenta. *Pag.* 16, *v.* 3. Subsilis, *lege* Subtilis. *Ibi.* *v.* 12. sanctificatem, *lege*, sanctificantem. *Pag.* 25. *v.* 24. Ad regendum alios, illosque in esse spirituali, sive gratiae multiplicatione carnali individuorum, *lege*, ad regendum alios, et multiplicatione individuorum, illosque in esse spirituali, sive gratiae conservandum. *Pag.* 26. *v.* 30. latione, *lege*, lotione. *Pag.* 27. *v.* 7. fuisset, *lege*, fuisse. *Ibi.* *v.* 8. accodere, *lege* accedere. *Ibi.* *v.* 13. confirmabat, *lege*, confirmaret. *Pag.* 31. *v.* 31. *babtizatus*, lege, *baptizatus*. *Ibi.* v. 24. *da*, lege, *de*. *Pag.* 33. *v.* 17. Tomas, *lege* Thomas. *Pag.* 36. *v.* *ult.* subtasntialem, *lege*, substantialem. *Pag.* 39. *v.* 4. cunfertur, *lege*, confertur. *Ibi:* v. 32. morvet, *lege* movet. *Pag.* 40, *v.* 15. obieem, *lege* obicem. *Pag.* 42. *v.* 16. opere, dist, *lege*, opere, n. maj:, et dist: *Pag:* 43. *v.* 26. *baminem*, lege, *hominem*. *Pag.* 44. *v.* 32. manandi, *lege*, mundandi. *Pag:* 46. *v.* 1. eademque, res, *lege*, eademque res. *Pag.* 47. *v.* 10. Penitentia, *lege*, Pœnitentia. *Ibi:* v. 23. hoe, *lege* hoc. *Pag.* 51. *v.* 9. Florentina, Synodus, *lege*, Florentina Synodus. *Pag.* 56. *v.* 1. ipsae, *lege*. ipse. *Ibi.* *v.* 2. in verbo omnia, *lege*, in Deo omnia. *Ibi.* *v.* 8. canssa et cum. *lege*, canssa, et cum. *Ibi.* *v.* 33. temen, *lege*, tamen *Pag.* 60. *v.* 17. sicuti est; ab, *lege* sicut est ab. *Pag.* 61. *v.* 30. benedictionem, *lege* benedictionibus. *Pag.* 63. *v.* 2. incensnm, *lege*, incensum: *Pag.* 69. *v.* 19. crebo, *lege*, crebro. *Pag.* 83. v. 7. hoe, *lege* hoc. *Ibi.*, v. 15. auctoritate, suffulti, *lege*, auctoritate suffulti. *Ibid.* v. 29. discrimem, *lege* discrimen. *Pag.* 93. *v.* 9. Lo-

gis, *lege*, Legis. *Pag.* 98. *v.* 14. manis, *lege* matris. *Pag.* 100. *v.* 12. perseverantar, *lege*, perseveranter. *Pag.* 104. *v.* 24. non, *lege* non. *Ibi. v.* 30. recensetur, *lege*, recensentur. *Ibi.* v. *ult.* Baptimo, *lege*, Baptismo. *Pag.* 106. v. 15. Dices, *lege*, Dices. 1. *Pag.* 187. v. 10. Baptis. tismum, *lege*, Baptismum. *Pag.* 112. *v.* 22. eum, *lege*, istud. *Ibi. v.* 25. (§. 268.), *lege*, 273.). *Pag.* 122. *v.* 19. septenii, *lege*, septennii *Ibi. v. ult.* sanctificente, *lege*, sanctificante. *Pag.* 127. *v.* 18. in in gratia, *lege*, in gratia *Pag,* 129. v. 10. Sucramentum, *lege*, Sacramentum. *Pag.* 133. *v.* 21. *vera*, lege, *vere*. *Pag.* 134. v. 14. cognuscuntur, *lege*, cognoscuntur. Ibi. *v.* 34. suscipio, *lege*, suspicio. *Pag.* 135. *v.* 7. Eucheristia, *lege*, Eucharistia. *Pag.* 137. *v.* 28. in honorari, *lege*, inhonorari. *Pag* 139. v. 34. salis, *lege*, solis. *Pag.* 140. *v.* 4. menta, *lege* mento *Pag.* 153. v. 19. Emma nus, *lege*, Emmaus. *Pag.* 154. *v.* 10. Calixtionorum, *lege*, Calixtinorum. *Pag.* 156. v. 22, Pasebate, *lege* Paschate. *Ibi.* v. 23. Discetionis, *lege*, discretionis. *Pag.* 158. *v.* 16. ex eos *lege*, ex eo. *Pag.* 165. *v.* 15. habent, *lege*, habenti. *Pag.* 166. *v.* 7. Confirmatonis, *lege*, Confirmationis. *Pag.* 171. v. 22. 3. institutio divina etc., *lege*, 2. institutio divina; et 3. *Ibi v. ult. dixeris*, lege *dixerit*. *Pag.* 172. v. 8. *dotorserit*, lege, *detorserit*. *Pag.* 182. *v.* 9. 10 Do-doleat, *lege*. doleat, *Pag.* 192. *v.* 29. Ex hic, *lege*, Ex his, *Pag.* 194. *v.* 10. Poonitenti, *lege* Poenitenti *Pag.* 200. *v. ult.* Tridentino, *lege*, sed clarius ex Tridentino. *Pag.* 203. *v.* 9. in-tionem, *lege* intentionem. *Ibi*: *v.* 31. agens, *lege*, agentes. *Pag.* 204. *v.* 24. frequentissimum, *lege*, frequentissimus. *Pag.* 205. *v.* 22. *remittuntur*, *lege*, *remittentur*. *Pag.* 217. *v.* 24. *aceeptant*, *lege*, *acceptant* *Pag.* 220. *adde* v. 8. CAPUT IV. *Pag.* 222. *v.* 1. conjuxit *lege*, conjunxit. *Pag.* 224. *v.* 13.; non posset, *lege* non posse *Pag.* 227. v. 23. Apostolos, *lege*, Apostolus. *Pag*, 231. *v.* 9. propositionibuę, *lege* propositionibus.